ANTIDOTARII, SIVE DE componendorum, miscendorúmque Medicamentorum exacta ratione

LIBER PRIMVS.

De Pharmacopœi officio.

PElici ingenio, & corpore benè constituto, moribus item cõpositis Pharmacopœũ esse decet, liberalẽ, non auarũ, fidum, & à pueris in simplicium cognitione diligẽter nõ solùm versatũ, sed qui omnia loca perlustrarit, vnde sibi plantas, aliáq; medicaméta colligere possit. Latinę prętera linguæ tam peritũ esse oportet, vt Dioscoridẽ, Galenũ, Serapionẽ, Mesuẽ, Auicẽnã, reliquósq; qui de materia φαρμακολογικῇ scripserunt, intelligere possit.

Eius officina salubri loco sita sit, quam nec vẽti perflẽt, nec Sol permeet, nec fumus, nec teter odor vllus molestus sit: variis prætereà reponẽdis cõseruãdísq; accõmoda: nõnulla siquidẽ locis subterraneis, pleraq; æditioribus prępanda & cõseruãda sunt. Hortũ insuper, aut locũ aliquem Soli expositũ habeat, in quo & siccare quæ siccãda sunt, & albedinẽ etiam quibusdã medicamẽtis cõciliare possit: in quo deniq; omnia ea parari possint, quę ex Medicorũ præscripto ad Solẽ confici debent.

DE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM DElectu ac conseruatione.

Simplicium genera.

MEDICAMENTA simplicia, aut omnis generis Plantę sunt, earúmq; partes, aut animalia & earũ partes, aut Terræ genera, aut Lapidum, aut Metallorum, quæq; ex eorũ venis eruuntur, aut fodinis nascũtur aut mari salsíve aquis aut dulcibus. Ex his autem quædam apud nos nascuntur, quædam aliunde adferuntur.

Nostratia, quo tẽpore, quo loco, & qua ratione colligi & reponi debeant, regulis quibusdam compræhendemus.

Peregrina verò, quomodo sint dignoscẽda & deligẽda docebimus: deinde (quia plerunq; contingit, vt quæ ex locis remotioribus aduehuntur, magno emantur, eámq; ob causam adulterentur, aut plurimum de sua generositate deperdant) sigillatim notas persequemur, quibus medicamenta illa rara, quæ facilè adulterari solent, aut alioqui exoleta ad nos veniunt (tum quòd sine vllo delectu collecta sint, aut malè seruata, tũ tẽporis diuturnitate euanida) à veris & synceris discerni possint,

sint, ne medicamenta ea parte deficiãt, in qua plerunq; maior illorũ vis reposita est.

De Herbis Nostratibus.

QVAE apud nos nascuntur Herbæ in montibus, collibus, & planis locis: ipsis montibus altissimis colligi debent, locisque Soli & vento expositis, paucis exceptis quę collibus frequentiores, magísque odoratæ sunt, vt chamædrys & chamæpitys.

Quæ verò locis planis duntaxat nascũtur, ea locis siccioribus, & à lacubus & fluminibus procul dissitis colligenda sunt, nisi riguis gaudeant, vt nymphæa, tribulus aquaticus, lens palustris & similes.

Cæterùm iam florentes, & semen quodammodo conficientes colligi debent cælo sereno, nullis per aliquot ante dies decidentibus pluuiis, nec etiam rore nimium madẽtes, nimióve Solis calore retorridæ.

Deligendæ sunt succi plenæ, floridæ, fugiendæ grandiores, graciliores & marcidæ. Comæ ergo cum foliis & floribus sumendæ.

Siccentur in vmbra loco ad Meridiem spectante, non humido, pulueríque & fumi experte.

Pyxidibus reponendæ, ne à prædictis offendi possint. Seruant suas vires annum

num vnum: itaque quotannis renouãdæ, nisi si anno collectæ fuerint, cuius temperies admodum ſicca fuerit pluuiarúmque expers & contra ſubſequatur æſtas admodum humida: tunc enim præſtat his vti, quæ ſicco illo anno ſuperiore collectæ ſint, quàm quæ ſubſequenti pluuioſo.

De Herbis Peregrinis.

QVOD ad Peregrinas herbas attinet, quæ apud Veteres in pretio erant, certiſque quibuſdam locis naſcerẽtur, ad quos nunc nõ datur acceſſus, eámq; ob cauſam non adferuntur: omni diligentia animad uertendum eſt, an apud nos naſcãtur: deinde an illis facultate reſpondeant, notiſque à Dioſcoride atq; aliis tum veteribus tum neotericis authoribus delineatis: an præterea natales conueniant, veluti ſi mõtes ſint ſimiles, quales hi erant in quibus naſcebantur, quæ tantoperè ab illis laudabantur. His certè ſimiles ſunt in Italia multi, præſertim in Hetruria & Liguria, in quibus herbæ colliguntur non minus generoſæ quàm quæ è Creta, aliiſve locis celebratis petebãtur, præſertim ſi nec ver, nec æſtas admodum pluuia fuerit, obſeruato ſcilicet tempore colligendi, & reponendi modo, vt ſuprà dictum eſt.

De herbis peregrinis quæ apud nos non nascuntur.

EAE herbæ quæ apud nos non crescunt quásque omnino aliúde aduehi oportet, ex Medicorum scriptis, vsúque quotidiano, notis quibusdam generalibus facile cognosci possunt, è quibus deprehendere licet, num eæ plantæ collectæ fuerint loco, tempore, modóque conuenienti, tum etiam repositæ, ita vt nec temporis, nec loci, nec vecturæ ratione incommodum vllũ passæ sint; quod ex odore, sapore, & earũ colore deprehenditur, si insuper folia & flores ipsis ramis cohæreant.

De Floribus.

FLORES qui in quotidianum vsum veniunt, magna ex parte apud nos nascũtur: colliguntúrque iam aperti, antequam marcescant, iis locis in quibus ipsæ plantæ maximè celebres sunt. Siccantur & reponuntur vt ipsæ herbæ, durántque in sua facultate annum: singulis verò annis renouari debent, vt de Herbis dictum est.

Qui aliunde aduehuntur, ex odore, sapore, & natiuo colore dignoscuntur: si præterea adhuc integri sint, nec comminuti, vel si nullum alias vitium contraxerint.

De

De Seminibus.

SEMINA nostratia iis locis colligenda sunt, quibus præstantissimæ herbæ nascuntur, eo nempe tempore, quo de herbis dictum est, cùm videlicet maturuerunt, antè quàm decidãt. Deligantur pleniora, non rugosa, & quæ odorem saporémq; sui generis perfectissimum seruãt. Siccantur vt herbæ, deinde vasculis vitratis aut sacculis reponuntur, locóque sicciore & humiditatis experte. Cæterùm quę certis regionibus celebrabantur (vt etiã ipsæ herbæ) his locis, si fieri potest, colligi debent quæ proximè accedant ad eorum similitudinem, quæ à veteribus cõmendabantur. Nostratia annum aut biennum durant.

Quæ foris, & peregrinis regionibus adferuntur, considerare oportet, an notis respondeant à Medicis præscriptis, & in eorũ cognitione exerceri, vt ex sapore & odore dignosci possint. Deligantur ea quæ corpulenta sunt, nec rugosa & cariosa.

De Fructibus.

FRVCTVS nostrates his locis colliguntur, vbi eorum plantæ sunt præstantissimæ. Colliguntur autẽ dum maturuerunt, antè quàm marcescant. Deliguntur pleniores & bene habiti. Siccãtur sole aut clibano pro humiditatis illis innatæ ratione

tione. Reponuntur armariis, pyxidibus, & locis quo neque humor vllus, neque fumus, neq; puluis pertingere possit, & mutantur quotannis.

Fructus peregrini ex ipsorum notis particularibus dignoscuntur, eorúmque præstantia illis ipsis cognoscitur signis, quibus etiam semina.

De Radicibus.

RADICES colligendæ sunt locis aptis, optimæ quæque, & præstantissimę, fructu iam deperdito, & incipiente foliorum defluuio, cælo sereno; pluuiæ nanque illas imbecilliores reddunt, & humore crudo implent. Siccantur autem cum integræ, scilicet quæ sunt exiguæ, vt valerianæ radix, asari, rúsci, asparagi, & similium: tum in taleolas sectę: tum etiam matrice exempta, & solo cortice reseruato: deinde filo traiectæ paruis interuallis ne sese contingant, suspenduntur loco suprà recitato, donec pbè siccatę fuerint, veluti radices gentianæ, bryoniæ, carlinæ, centaurij maioris, & similium, quæ planè eodem modo quo herbæ reponuntur. Exiguæ radices in annum seruantur: Maiores in biennium. Mutandæ autem sunt intra id tępus, si anni tęmperies ficca fuerit: sin autem admodum humida fuerit, eo præsertim tępore quo

quo radices colligendæ sunt, satius est illis vti quæ præcedente anno collectæ sint, modo ea qua dictũ est ratiõe seruatæ sint.

Exoticæ Radices peculiaribus notis dignoscuntur: Deligendæ autem sunt quæ saporem, odorem, & colorem sui generis perfectissimum habeant, quæque sint bene habitæ, non carioſæ, non marcidæ, nec rugosæ si fieri possit.

De Succis.

Succi ex plantis eliciuntur, virẽtium & tenerorum foliorum cauliũm ve tritura, & manuum aut torcularis expressione. Horum statim ab expressione vsus est, ad seruantúrq; aut liquidi, aut siccati, aut cũ saccharo mixti in modũ Syrupi. Qui liquidi seruandi sunt, igne aut insolatione à phlegmatis partibus repurgantur, & in phialam iniiciuntur superfuso aliquãtulo oleo. Qui sicci reponẽdi sunt, aut sole, aut igne probè siccantur: tum demum vasculis vitratis, aut pyxidibus reponuntur. Liquidi mutantur quotannis. Sicci verò & apud nos expressi, aut singulis annis, aut ad summum biennio.

Externi generatim dignoscuntur, aut odoris, saporis, coloris præstantia, aut si non puluerulenti sint, alióve modo corrupti.

De

De Liquoribus, Lachrymis, & Gummis.

LIQVORES, Lacrhymæ, & Gummi quæ Medicis in vsu sunt, magna ex parte peregrina sunt. Nostra verò ex stirpibus adultioribus defluunt, aut ex succo prægnantibus exprimuntur.

Iisdem verò notis Peregrina cognoscũtur, quibus suprà dictum est: eorum autẽ præstantia, aliorũ quorundã collatione: quorũ sigillatim mentionẽ faciemus, cũ de simplicibus medicamentis agemus.

De Corticibus.

CORTICES quibus Medici vtũtur, partim è fructibus, partim ex radicibus, partim ex ramis sumuntur, loco, tempore, & modo conuenienti, vt dictum est.

Peregrini prędictis rationibus dignoscũtur: de qbus etiã sigillatim agemus: de his præsertim, quæ in frequentiore vsu sunt.

De Lignis.

LIGNA magna ex parte peregrina sunt. Nostra autem ex arboribus adultis decerpenda sunt.

Peregrina particulatim tractabimus.

De Medicamentis ex Animalibus desumptis.

EX Animalibus integris, aut eorũ partibus medicamenta sumuntur: Præferẽda autem ea sunt, quę ex Animalibus mediæ

ætatis, bene pinguibus, benéq; habito corpore desumuntur. Quo modo autem præparentur & conseruétur, postea dicemus.

De iis quæ ex terra & aquis sumuntur, item de Metallicis, & Terris.

HOC Medicamentorum genus plerúq; peregrinum est. Itaque de singulis quæ in maiore vsu sunt agemus, & aliis quibusdam, quæ, cùm aliunde adferantur, difficilè cognoscuntur. Horum autem descriptionem dabimus ex antiquis Scriptoribus, eásque notas enumerabimus, quibus & eorum præstantia, & adulterium, si quæ sunt adulterina, facilè deprehẽdatur, eáq; omnia ordine alphabetico trademus.

ACACIA planta est spinosa, è cuius fructu succus acacia exprimitur, quem, quoniam non habemus, non necesse est describere, sed in succedaneis, quid eius loco sumendum sit, dicemus. Manat & gummi ex ea spina, quod videtur gummi tragacanthæ vulgare, vt in eius historia dicemus.

Acorus teste Dioscor. folia fert iridis, radices non dissimiles, summo cespite sparsas, complicatas, geniculis interceptas, in obliquum actas, albicantes, gustu acres, &, vt Gal. ait, modicè amaras & odoratas. Optima est densa, cãdida, carie nõ exesa, plena,

plena, odorata. Cæterũ omnes has ferè no tas habet ea radix, quę hodie vocatur cala mus aromaticus. Hãc ob causam, hęc sem per pro acoro sumenda est, siue ea quæ in Succedaneorum catalogo recensebitur.

Adeps ex animali florente legitur. Eo dem autem tempore non colligitur om nium animalium adeps, quòd eodem tem pore non pinguescant. Reponitur autem bene lotus, & ab omni cruento aliisq; im munditiis repurgatus, loco sicco ad Aqui lones spectante: siue figulinis vasculis vi tratis, foliis lauri siccis conuolutus, & ob turatus: aut exemptis membranis, dili gentissimè tritus, & duplici vase liquatus, fictili vitrato bene obturato locis siccis. Recens etiam & sine sale vsurpatur: & quando adipem absolutè reperies, sumes adipem recentem illius anni, & sine sale conditum, quia post illud tempus mutat qualitatem, aliisque præditus est facul tatibus.

Aes qua ratione vrendum sit, vt eius in Medicina vsus esse possit, postea dicemus. Aes verò vstum illud est, quod Italorum vulgo Ferretto di spagna vocatur. Pro batur rubrum, & quod tritum colore cinnabarim imitatur.

Aloë succus plantę eiusdẽ nominis no-

tissima est. Eius apud Diosc. duo sunt genera: quoddã arenosum, quod sedimentũ purissimæ esse videtur: alterum iocinoris modo concretum, ex quo nomen vulgare sumpsit aloës hepaticæ. Eligi debet pinguis, syncera, calculorũ & arenularũ expers, nitida, rufi coloris friabilis, iocinoris modo coacta, facilè liquescens, & eximiæ amaritudinis. Improbatur nigra, difficilè liquescẽs. Adulteratur gummi, quod deprehenditur gustu: nã non valde amara est, neq; tam validi odoris, neq; digitis friata ad minima vsq; frusta resoluitur. Nõnulli, teste Diosc. illã succo acacię adulterãt, quod maleficiũ gustu deprehẽditur, minus eñ amara est, magisq; adstringit.

Aluminis apud veteres tria fuerũt genera, Liquidũ, Rotundũ, Scissile, quo dũtaxat vtimur sub nomine vulgari aluminis plumæ. Cæterũ quotiescunq; in medicamenti alicuius compositione alumen simpliciter reperitur, scissile intelligendum est, veluti omnium efficacissimũ. Optimũ est candidissimũ, valde adstringẽs, graui odore, non lapidosum, non compactum, sed plerunq; in capillamenta quædam canescentia dehiscẽs. Ex Aegypto adfertur. Adulteratur lapide Amiantho, sed gustu dignoscitur, quòd non adstringat.

Præter

Præter iam recitata aluminum genera, factitia tria reperiuntur: nempe alumen fæcum, quod fit ex vini fæcibus Sole ficca tis donec albescant, deinde vstis. Alumen catinum, quod fit è cineribus herbæ Kali, seu sodæ vulgaris: Alumen scaiolæ, idque fit è lapide speculari, quem vulgò speculum asini vocant.

E' factitiis etiam sunt alumen rocæ, & zucharinum: illud ex lapide candido, interdum sub rubro sæpius præparato: hoc verò ex alumine rocæ, saccharo, & oui albumine paratur. Aluminis liquidi & rotundi loco, satis commodè vsurpare possumus alumen rocæ.

Ambra citrina, Latinis succinũ, Græcis ἤλεκτρον, & Arabibus carabe dicta, ex quo rundã sententia nascitur è liquido bitumine, quod è littoribus defluẽs in mare, concrescit eo quo videmus modo. Reperitur in Germaniæ maritimis, ꝓcellis in littus prouoluta. Eius sunt aliquot genera: Fulua, quæ pellucida est, cãdida, & similibus aliis coloribus prædita: Candida verò, quòd leuior sit, & odoratior, optima censetur. Probatur ea quæ attritu calefacta, illico paleas, aliásq; res minutas ad se trahat, & quæ accensa bituminis odorem reddit.

Ambra odorifera quę ex Arabia fœlice,

& India defertur; Iuxta quorundã sententiam etiam ex bitumine nascitur, eodem quo ambra fulua Germanica modo. Hæc plerunq; in ventre piscium reperitur, qui ea copiosiùs vorata moriuntur. Laudatur quæ circa eorum renes reperitur: improbatur quæ in stomacho est: ea verò optima habetur, quæ nondum à piscibus deuorata est, tametsi in ipsis piscibus non aspernãda interdum reperiatur. Optima est quæ ex India aduecta fuluescit: post eam, quæ ex Arabia fœlici adfertur. Est etiam Factitia ex moscho, ziberho, ligno aloës, styrace & ladano: Odor auem rerum ex quibus fit, & color qui plerunque niger est, illam prodit: præterea aquæ imposita citiùs molliscit quàm natiua.

Ammi hodie à nonnullis ostenditur, foliis fœniculo tenuioribus, caule gracili, vmbella in qua candidi flores & semen minutissimum, cumino similis, non per omnia respondens veterum descriptioni. Plerique existimant, semen quoddam ex Hispaniis sub amomi nomine allatum, verum esse ammi, aut saltem eius loco vsurpari posse. Vide succedanea.

Amomi planta hodie Italiæ incognita est, ideóque plura non attinet hîc dicere: Eius succedaneũ reperies ad libri calcem.

Aristo

Aristolochię tria genera Dioscoridi re censentur, Rotunda, Longa, Clematitis. Rotunda hodie notissima, radicem habet rotundam rapi modo, reliquásque notas quas illi tribuit Dioscor. Longa autem paucis adhuc cognita, quandoquidē ea quæ hodie pro Longa exhibetur vulgo, quibusdā est tertia species Clematitis dicta, quòd non habeat radices quaternos digitos longas, velut Longa Dioscor. sed lōgissimas & graciles, quales Clematitidis deferri būtur, tametsi (si Dioscor. textus non est mēdosus, vt aliqui existimant) folia semperuiui minoris non illi conueniant. Itaque quænam sit aristolochia Longa & Clematitis, dubitatur. Cùm verò Rotunda sit omnium efficacissima, eius vsus esse debet, quotiescunq; aristolochiæ nomen absolutè reperietur: imò etiam Longæ & Clematitidis loco vsurpari potest. Vulgaris Longa omnium imbecillima est.

Armoniacū, Græcis & Latinis Ammoniacum dictum, lachryma est ferulæ Dioscoridi. Notissimū est. Probatur bene coloratum, minutis glebis thuris similitudine, densum, syncerum, castoreum odore imitans, gustu amarum, ligni, calculorum, similiúmque sordium expers.

Asa fœtida, plātæ peregrinæ lachryma

aut succus est. Sunt qui existiment silphij succum esse in Media aut Syria nascentis, qui, teste Dioscor. grati odoris non erat, vt Armeniacus aut Lybicus, quem nonnulli asam odoratam esse arbitrãtur & belzoin officinarum: sed non conuenit. Nã Dioscor. hunc vt præstantissimum & efficacissimũ laudat: Arabes verò asam fœtidam calidiorem & potentiorem asserunt: Multò minus belzoin esse potest, quod tanta excalfaciendi vi prędituin non est, quantam illi tribuit Galenus, dum laserpitij loco euphorbium non recens substituit. Aspalathum, quòd nondum habeamus, & in officinis prorsus sit incognitum, non describemus: sed eius succedaneum inter cætera recensebimus.

Auripigmentũ metallica res est, aurum colore imitãs. Eius apud Dioscor. duo genera. Vnũ è multis squamis, vt altera alteri imposita videatur, cõstat: Id, si purũ fuerit, nec vlli materię permistũ, optimũ existimatur. Alterũ colore sandarachæ, hoc est rubrum, glandis effigie. Deligendũ ergo aureo colore micans, è tenuibus squamis compactum, quod facilè finditur, & lapillis aut terræ permistum non est.

Ex auripigmẽto natiuo fit Artificiale, arsenicũ videlicet & Reagal vulgo vocatũ.

BAL

BALSAMO cùm careamus, nulla eius hîc fiet mentio, sed eius succedaneum inter reliqua ponemus.

Bdellium lachryma est sarracenicæ arboris, inquit Dioscorides. Probatur gustu amarum, translucidum taurini glutinis modo, intus pingue, &, si tactu subigitur, mollescens, ligni ac sordis expers, odore unguis marini incensum. Facultate, secũdum, est veluti siccũ, resinosum, liuescens. Tertium est Indicũ, sordidum, nigrum, grandioribus glebis in offas cõuolutum. Adulteratur gũmi: sed id minus est amarum, & suffitu minus odoratum. Ex eo quod in vsu est deligendũ quod maximè accedit ad prædicti notas, donec præstantius aliquod aduehatur.

Bedeguar, Dioscoridi spina alba dicta, ex quorundam sententia ea est planta spinosa, quæ folia habet longa, angusta, maculis albis distincta, capitula spinosa, & in his flores purpurascentes: Nascitur in Hetruria locis mõtanis præsertim. Huic conueniũt omnes ferè notæ à Dioscoridis traditæ, ideo veræ loco vsurpari potest, aut illi substitui, vt infrà dicemus.

Been album secundum quosdam polemonium est Dioscoridis, ea inquã planta quæ radice constat cubitali, candida, cau-

le geniculato, betonicę altili vocatę nō dis simili, exquo depēdētveſiculę ſeu folliculi quidā rotūdi & cādidi, folia polygono ma ri ſimilia, maiora tamē & lōgiora, ex interuallis bina. Notiſſima eſt p Hetruriā.

Been rubrum, aliqui Dioſcoridis tripolium eſſe volunt: Pro hac oſtendūt plantā quandam in maritimis naſcentem, foliis glaſti, magis virentibus longioribúſque: caule per ſumma diuiſo, floſculíſque purpureis onuſto; radice rubra, palmum lōga & contorta. Beben rubrum cum hac deſpriptione magis quadrat, quàm albū cū polemonia: donec tamen certius de ea iudiciū ſtatuatur, eius ſuccedaneo vtemur.

Belozin gummi eſt arboris peregrinæ (non autem laſerpitium) agallochi ſoſitan, vt quorundā eſt opinio, quod vulgare eſt lignū aloës. Optimū cenſetur tranſlucens, albis præditū glebulis, thuris ęmulum, rubeſcens, odore grato, & quādo vritur xylo aloës odorem referēs: hac enim ratione ab adulterino dignoſcitur.

Berberis à Dioſcoride ſpina acuta vocatur. Cęterùm tametſi incertū eſt, an frutex ille ſit ſpinoſus qui Italis Creſpino dicitur, an verò ea planta quæ paſſim in omnibus ferè ſepibus naſcitur, foliis inciſis, meſpilo aroniç ſimilibus, an alia quę-

dam

dam planta: vulgari tamen berberi vti possumus, donec aliud statuatur.

Bitumen, Græcis ἄσφαλτος dictum, est veluti terræ adeps qui facillimè ignē concipit. duûm est genera. Quod liquidum est vt oleum, vulgo petroleum vocatur, omnibus notū, Aliud densum picis modo quod, antequam concrescat, liquidum aquis supernatare solet: Huius generis est quod in Iudæa nascēs peculiariter asphaltos dicitur: videtur autē id esse quod vulgo sic hodie vocatur. Eius verò probatio est vt purpureæ modo splendeat, sit'que ponderosum, & validum odorem vibret. Nigrum autem & sordidum vitiosum est. Adulteratur pice, quod color niger indicat, & picis odor.

Quod Babylone natū naptha vocatur, teste Dioscor. bituminis cādidi aut etiam nigri colatura est, Vis ei igniū rapax. Huius loco quia ad nos non adfertur, nostro petroleo vti possumus: quemadmodū etiam asphalti loco, si dubium esset an asphaltus sit bitumen Iudaicū. Si quis autem asphalti modo densare volet vase æneo aut ferreo illud coquet, &, quia facilè flammam concipit, flamma, panno lineo madente in vas vbi percoquitur demisso, extinguetur. Hac ratione concretum petroleum

leum pro naphtha & asphalto vsurpari potest.

Quod in Apollonia Epirotarum nascitur, quòd mistam bitumini picem redoleat, pissasphaltos appellatur, & mumia Arabum esse creditur, tametsi mumiam etiam appellét, Confectioné quandã qua cadauera cõdiuntur. Factitia etiã est pissasphaltos, admixta pice bituminí.

Aliud porrò bituminis genus est lapidis modo induratũ, veluti terra pharmaticis, aut ampelitis: Deinde quod instar fragmẽtorum ligni terra effossum, sed atrũ vt carbo, multis locis reperitur: Multi præterea alij lapides & gummi bituminis naturam habent quæ omnia breuitatis causa prætereo.

Bolus Armenia hodie duorũ est genervm: alterũ Orientale: alterum Nostras, quod multis locis nascitur vbi sunt ferri fodinæ. vtraq; rubricæ species est. Existimãt nõnulli bolum Orientalé ex Armenia aduehi, eõséq; illã ipsam quã Galenus colore pallido, Arabes luteo, croco similem describunt. Cæterùm cùm illa sit rubra, vt dictũ est nõ abs re dubitatur, an sit bolus Armenia. Alij putãt verã esse terram Lemniã, quæ olim Capræ imagine signabatur, aut eã potius quæ Galeno rubricæ

brica Lemnia vocatur, à terra Lemnia differens, Nam rubrica manus inficit, terra verò minimè. Vt vt sit, existimamus alteram alterius loco vsurpari posse, vt postea dicemus. Nostrate vti possumus in medicamentis foris applicandis.

Borax notum est officinis. Fit è lapide translucido borace dicto nitri fossilis genere. Huius vsus est in medicamentis & Aurifabrorum officinis, quemadmodum apud veteres chrysocollę. Hęc metallica erat & factitia. Metallica in aurariis, argentariis, & ærariis fodinis reperiebatur: præstãtissima erat æraria, prasini coloris: sed & hodie adhuc in ærariis fodinis reperitur, arenę per se similis, aut materię metallicæ permista, sed quæ abrasa arenæ simililudinẽ gerit. Factitia, ex pueri vrina in æreo mortario trita pistilo æreo fiebat: Hæc Medicis in vsu fuit. Sunt etiamnum aliæ factitiæ, quæ Pictoribus tantum seruiunt.

Calamvs aromaticus Dioscoridis hodie incognitus est. vulgaris autẽ calamus aromaticus, Acorũ fortè est, vt iam diximus. De eo nunc plura non dicemus: sed lectorem ad succedanea remittemus.

Camphora, Arabibus Indicæ arboris lachryma est: Aliis verò, Indici bitumi-

nis

nis genus. Ferũt Indos id bitumẽ quod ex cãphora natiua ſtillat excoquere, quódque tenuiſſimarum eſt partiũ albeſcere, & ſublatum operculo adhærere, caphuramque in hunc modũ conformari, vt illã videmus. Hinc fit vt Mercatores caphuræ bitumen plerunq; admiſceant: ſed nõ ita candicat vt caphura illa modo iam dicto excocta. Eligatur alba, pellucida, ſyncera, valde odorata, quæ pani calido impoſita madeſcit. Semine lini, aut milij, aut pſyllij, aut pipere ſepulta conſeruatur, ne aëri expoſita euaneſcat.

Cantharides officinis notæ ſunt. Probãtur in frumento inuentæ, verſicolores, & & quæ luteas in alis tranſuerſas lineas habent, corpore oblongo. Cribro, aut fictili vaſe conduntur, cuius os raro linteo ſubligatum deorſum vertitur, vt excepto habitu aceri quàm acerrimi feruẽtis æſtu examinentur. Poſtea ſiccantur, & pyxidibus ligneis, aut fictilibus vitratis reponũtur. Biennium durant.

Cardamomum Græcorũ, quod eſt cordumeni Arabum, tametſi multi dubitent quidnam ſit. Illud tamen quod officinæ cardamomũ maius appellãt, cardamomi Græcorum loco vſurpari poſſe videtur, quia aromaticam quãdam acrimoniam, nec

nec non amaritudinem, quamuis obscuram, habet. Aliud verò est cardamomum Arabū à Græcorum cardamomo: Eiúsque duo genera cōstituunt, maius, & minus, vtrumq; nobis incognitum: nisi maius, il lud intelligatur, quod melligetā aut granum Paradisi nuncupant. Semen est angulosum, acre linguam vellicans, non admodum aromaticum. Cardamomum minus officinarum nullo modo conuenit cum cardamomo minori Arabum, neq; ad aliquod cardamomi genus referri potest: sed est melanthij genus, vt in eius historia dicemus

Cassia Græcorū, vt ex Dioscoride & Galeno colligere licet, cinnamomū siue canella officinarum videtur qua pro cassia commodè vti possumus. Præfertur longa, odorata, gustu cum acrimonia grato, rufescens: quod genus facilè reperiri potest.

Cassia arabum, est cassia illa nigra solutiua vulgo notissima. Eligatur Alexandrina, amplis siliquis, grauis, quæ cōcussa, clausis intus granis non strepat, cortice læui & purpurascente.

In Græcorū medicamētis, si cassia præscribatur, eius loco canella optima sumēda est: tum etiam in Arabum scriptis, vbi Græcorū remedia recensent: & iis etiam medi

medicamentis quæ corpus non soluunt. Sin autẽ remedia ab Arabibus descripta sint: aut in eum vsum præscripta, vt corpus purgent, cassia nigra vti debemus.

Castoriũ, castoris testes sunt. Eligi debent, inquit Dioscor. qui ex vno principio committũtur, liquore intus veluti ceroso, odòre graui & virus redolẽte, gustu acri. mordente, friabili, ac multis naturalibus tunicis circundato. Adulteratur gummi armoniaco cum castoris sanguine & castorio subacto, deinde in vesiculã cõiecto & siccato. Depræhenditur fraus ex notis prædictis, tum etiam quòd factitij testes, ipsis natiuis, qui plerunque sunt exigui, ampliores sunt.

Centaurium duorum est generũ, maius, & minus. Maius Dioscoridi folia iuglandis habet, oblonga, viridi brassicarũ colore, in ambitu ferrata, caulem ceu rumicis, binũm aut ternũm cubitorũ, multis ab radice adnatis, in quibus capita ceu papaueris, in rotunditate oblõga, flos ex cæruleo candicans, cyanio flori perquam similis, verùm maior: semen in floribus conpactũ, quale in floribus in papos euanescẽtibus esse solet: radix crassa, grauis, sesquicubitum longa, rubescens, succo prægnans rubescente, & cum adstrictione

ne quadam & dulcedine, acri. Huius radix subrhapontici nomine officinis notissima est. Centaurium minus passim nascitur, notissimúmque est ex Dioscoridis prę scriptione. Maioris radix in vsu est: Minoris coma cum floribus & semine.

Cera notissima est. Optima est subfulua, modicè pinguis, pura, odorata, mellis habitum quadantenus referens. Secũdum locum obtinet candicans, & suapte natura pinguis. Laudatur Pontica & Cretica.

Chalcitis metallica est, in venis ærarijs nata, mediæ inter misy & sory facultatis, quibus caremus. De his vide succedanea.

Cinnamomum Dioscoridis hodie incognitũ plerique existimant, tametsi non desint qui in canellæ odoratioris capsulis facilè reperiri posse putẽt, quia Dioscor. cinnamomi quædam genera cassiæ similia facit. Vtcunque sit, canella optima, & cinnamomi, & cassiæ loco vsurpari potest, donec melius aliquod medicamẽtum quod substitui possit reperiatur.

Coagulum Leporis omnium præstantissimũ est: deinde Hœdi & Hinnuli. Excipitur antè quã ipsa animalia aliud quidquam præter lac maternũ degustauerint. Vituli marini coagulum excipitur prius quàm cum matre ad prædã natare possit.

Fumo aut sole exsiccata, & loco sicco seruantur. Annum vnum aut biennium durant.

Costus Dioscoridi radix est candida, leuis, eximia odoris suauitate, qualem Arabicum esse dicit: hic præcellit. Secundum locũ sibi vẽdicat Indicus, crassus, leuis, vt ferula niger. Tertius est syriacus, grauis, colore buxeus, & odore nares feriẽs. Optimus est recẽs, albus, abundè plenus, dẽsus, aridus, à teredinibus non eroſus, sine graueolentia, gustu acuto ac linguam vellicans, &, vt ait Galenus, aliquantulum amaro. Omnes ferè optimi costi notæ in angelicæ radice, quæ satis nota est, reperiuntur. Hinc fit vt nonnulli putent, eam pro vero costo substitui posse: vt verum fatea mur, præstat eã costi loco vsurpare, quàm costum vulgare officinarum, quod à iam dictis notis alienissimum est.

Croci cùm multus sit vsus, & sanis, & in Medicina, cura adhibenda est vt optimus, recens, & syncerus deligatur. Nam variis modis adulteratur: sed maleficium ex colore, odore, & pondere deprehendi tur: siquidem adulteratus, nec vetus eam coloris gratiam habet, sed obscurior est, neque odoratus vt recens, sed situm redolet, & ponderosus est. Cæterùm qui luteos

quos

quosdam flores admistos habet, odore & gustu dignoscitur, tum etiam quod eam coloris venustatem in tingendo non habet, quam syncerus. Qui sapa sublitus est, sapore dulci, & colore obscuro est. Cui permixta lithargyros, iusto pondero fior est.

Cubebæ, quarum in officinis vsus, sunt fructus peregrinus, satis notus. Non sunt autem cubebæ Arabum, neque earum loco in Arabum præscriptionibus vsurpari debent, sed canella: arbitratur enim Serapio cubebas esse carpesium; ex Galeni sententia eas facultates cubebis tribuēs, quas Galenus carpesio tribuit, corticem cinnamomo similē esse asserens: imò cinnamomi loco carpesiū maiore quantitate substitui voluit.

Curcuma Arabū. radix est officinis nota. Creditur cyperi genus esse, quod Dioscorides in India nasci asserit.

Cuscuta, Græcis & Recentioribus cassutha dicta, planta est capillaris, sine foliis, reliquas plantas inuoluens & enecās. Nota est. Deligenda est quæ in genista reperitur.

Cynoglossum vulgare omnibus notum, tametsi Dioscoridis cynoglossum nō sit, à Plinio tamen inter cynoglossi gene-

ra descriptum putatur, & easdem cum illo habere facultates: quam ob causam eius vsus esse potest.

Cyperus iuncus est triangularis, interdum quadrangularis, cubitalis aut maior folia fert porracea, longiora & angustiora, in summo caude minuta, semen complectentia: radices, quarum in Medicina vsus, inter se cohærentes, oleis oblongis similes, vel rotundæ, nigræ, suaui odore, & amaro gustu. Nascitur in paluſtribꝰ. Duorum generum in Italia reperitur. Vnum exiguū, cui radices oleæ similes: hoc præfertur. Alterum maius, cuius radices inæquales & contortæ. Optima ea est radix, inquit Dioscorides, quæ grauior est, densa, plena, dura, aspera, odorata cum quadā acrimonia, qualis est cilicia, syriaca, & à Cycladibus insulis petitur. Sic & quę hodie quæ ex Oriente aduehitur, melior est nostrate.

Aliud Cyperi genus in India nasci Dios. dicit, gingiberis effigie: quod croci modo tingit. Illud veterum curcuma esse non abs re plerique existimant.

DICTAMNVM, herba est in sola Creta nascens, pulegio similis, sed maioribus foliis, cana lanugine pubescentibus. Florem nullum aut semen profert, inquit Dioſc.

Dioſc. Theophraſtus verò cæteríque Autores & caulem illi tribuunt, & florem, & ſemen, vt manifeſtè videre licet in dictãno quod hodie ex Creta adfertur, cui quidem conueniunt reliquæ Dioſc. notæ, ſed florem & ſemen profert.

Alia eſt planta, dictamnum album vulgo vocata, aliàs fraxinella, planè à dictãno Cretenſi diuerſa, quę quamuis valde efficax ſit, dictamno Cretenſi ſubſtitui tamen non poteſt: hoc enim veteres intelligunt, cùm abſolutè dictamnum ſcribunt.

Diphryges, æris veluti ſubſidēs fæx eſt, quæ ære cocto, & poſt aquæ frigidæ offuſionem ſublato, ima fornacum parte cohærens reperitur. Eſt etiamnum aliud genus factitium, quod ex pyrite æroſo fit lapide multos dies vt calx cremato, donec rubeſcat vt rubrica. Deinde ſublatum reponitur.

Fiebat etiam èluti cuiuſdam cyprij genere, hodie inuſitatum. Priora verò duo gera facilè reperiri poſſunt. Adulteratur ochra exuſta, quæ vt diphryges rubeſcit: Depræhenditur autem quod ſubitò linguam non exſiccat, nec ſaporem æris reddit vt natiuum diphryges.

Dragagantum, Græcis tragacantha, lachryma eſt, quæ è radice plantæ cuiuſdã

spinosæ eiusdem nominis manans, concre uit. Præstat pellucens, leuis, gracilis, syncera & subdulcis. Videtur ea esse, quæ vulgo gummi Arabicum vocatur: Contra verò ea quæ tragacantha dicitur, gummi acaciæ esse, vt suprà in acacia retulimus. Itaque cùm vires habeant similes, altera alterius loco sumi potest.

ELATERIVM succus est è fructu cucumeris syluestris, plantæ notissimæ. Optimũ est leue, non ponderosum, cum candore leniter humectum, gustu amarissimum, quódque lucernarũ luminibus obiectum facilè flagrat. Improbatur scabrũ, turbidum, porraceí coloris, medium ærui & cineris colorem referens, & graue. Sunt qui amylum immisceant, vt cãdorem ipsum imitentur, ponderosiúsq; sit. Abima tu ad decennium vtile est inquit Dioscorides, tametsi aliter alij sentiant, Eius extrahendi ratio suo loco dicetur.

Ellebori duo sunt genera, album nimirum & nigrum. Album radicibus nititur multis, tenuibus, candidis, ab oblongo & exiguo capite exeuntibus cepatum modo: folia fert plãtaginis; caulem palmo altiorem, cauum, tunicis conuolutum: satis notum est. Deligẽdæ sunt radices summis montibus collectæ tempore apto, candidæ,

dæ, mediocriter extentæ, friabiles, carnosæ, nullum in frangendo puluerem emittentes, quæq; sint medulla tenuis, gustu feruente, nec tamen id vehementer, quæ enim nimium acres sunt, strangulant.

Elleborū nigrū folia habet viridia, platani similia, minora, foliis sphondylij proxima, pluribus diuisuris incisa, nigriora, & crassiora, subaspera: caulis asper, flores ex candido purpurei, cotoneis similes, racematim cohærētes: in quibus est semen cnico simile: radicibus nigris, tenuibus, elleboro albo similibus, quarum duntaxat est vsus. Eligi debet bene nigrum, corpulentum, plenum, in quo tenuis sit medulla, acre gustu feruénsque.

Elleborū nigrū quo hodie plerunq; vtūtur, non est iam descriptum: verum tamē etiam in Hetruria reperitur cū prædictis notis, tametsi rarò. Itaq; cura adhibenda est, vt id sumatur, quamuis non multum errent, qui in veri loco vtuntur vulgari.

Epithymum planta est cassuthæ similis, aut cassutha in thymo nascens, & illud cincinnis suis ambiens. Cùm autem hoc tēpore thymi copiā non habeamus, caremus etiā epithymo. Illud em̄ quod vulgò in vsu est epithymbra est, quòd in thymbra, quę thymi nomine vsurpatur, crescat.

ſcat. Hac autem hodie veri epithymi loco vti poſſumus: nam eaſdē facultates habet, aliquantò tamen debiliores. Quod ex Creta adfertur, epithymbra etiam videtur, epithymum enim non eſt, tametſi noſtrate melior.

Eſula, Græcis tithymalus dicitur. Sed veluti eſulæ nomine tres plantæ intelligũtur, maior videlicet, minor, & rotũda: Sic etiã tithymali genera ſeptem à Dioſcoride aliiſque pluribus deſcribuntur. Eſula maiore pytinſa Dioſcoridis intelligenda eſt, & alſcebram maius Meſuæ: Eſula minore, tithymalus cyparíſſias & alſcebram minus: Eſula rotunda, peplos: quæ omnes plantæ hodie ſunt cognitæ. Cognoſcendæ ſunt etiam reliquæ tithymali ſpecies, præſertim characias, qui reliquis præferebatur, & Græcis erat in vſu. Hodie cognitus eſt, quemadmodũ & reliqua tithymalorum genera, his præſertim qui in his inueſtigandis diligentiam aliquã adhibet: Nam omnes in Hetruria reperiuntur. Eorum deſcriptio, cùm ſit admodũ prolixa, ex Dioſcori. petenda eſt.

Eupatorium Græcorum, vulgaris agrimonia eſt. Eupatorium Auicennæ id eſſe creditur quod vulgò eupatoriũ appellant, foliis cannabis ſyluestris, & ſecundum a-

quas

quas creſcit: vulgò nota eſt. Eupatorium Meſuæ herba eſt amara, quibuſdam camphorata, aliis herba giulia dicta, quæ Dioſcoridis ageratum putatur. Cùm itaque omnes hæ plantæ eupatorium appellentur, animaduertendum eſt ne indifferenter altera pro altera vſurpetur: Sed in Græcis compoſitionibus, agrimoniæ vſus eſt: In Auicenneis, Auicennæ: In Meſuæis, Meſuæ eupatorium vſurpandum eſt: ſinguli enim ſuo eupatorio peculiares ac diuerſas facultates tribuunt.

Euphorbium eſt ſuccus ex arbore ferulæ ſimili emanans. Duo eius genera Dioſcoridi. Vnum ſarcocollæ modo emicans, in granula concretum orobi magnitudine. Alterum veluti fæx quædam eſt, imbecillius. Adulteratur ſarcocollæ & gummi Arabici miſtione, ſed difficile experimentum, quod leui guſtu os accenſum diu detineat. Eligendũ tranſlucens. Recẽti, quia viribus eſt violentis, non vtendum, ſed annotino. Annis quatuor integrũ ſeruari poteſt cum milio, fabis, aut lentibus ne elangueſcat: quinto enim vel ſexto anno vis eius exoluitur. Cęterùm cùm plerunq; cõtingat vt ad nos magis aduehatur vetuſtate corruptum, quàm recens; maior cura in eo adhibenda eſt.

Fel omne sumendũ est ab animalibus mediæ ætatis, quæ neque famem, neq; sitim passa, neq; exercitio nimium defatigata sint, neque iræ nimiũ indulserint. De tractũ à iecore, & præligatis filo viis quibus & admittitur & egreditur bilis, in fer uentem aquam demittitur aliquãto tempore, mox exemptum siccatur loco sicco, & reconditur. Siccatur etiam camino suspensum nec aquæ feruenti demissum: Interdum eo vtimur recenti iam primùm ab animali exempto, veluti felle gallorũ, perdicum, piscium, & similium quæ facilè comparari possunt, nec magno constant.

Flos æris grana quædam minutissima sunt panici effigie, rubentia æris modo, quæ exiliunt ac erumpunt, quando æs per cola funditur, & aqua pura & frigidissima affunditur. Facilè reperiri potest in ærariis officinis. Optimus est friabilis, in attritu fluescens, milij effigie, breuis, ponderosus, modicè splendens, gustu adstringens, qui delimatam æris scobem nõ recepit, qua sæpe adulteratur: Sed id facilè deprehenditur dentium allisione, scobs enim non atteritur, sed dilatatur.

Galanga radix est nodulis scatetẽs, intus & foris rubra, per internodia cõ torta

torta,odorata,& acerrimi saporis, odore & figura quadam cyperi, vnde quibusdam cyperus Babylonicus putatur. Eligenda grauis,rubra,sapore acerrimo linguam vellicans. Adulteratur cyperi vulgaris radicibus repurgatis,& in aceto cũ pipere maceratis: sed abraso cortice fucus deprehenditur, nam pars interior neque galangæ acrimoniam neq; saporẽ habet.

Galbanum ferulæ liquor est,vulgo notũ est. Laudatur multis granulis constãs, merum,thuris effigiem præbens, pingue, non lignosum,retinens nonnihil seminis è sua ferula, graue odore, neque humidum neque aridum. Adulteratur resina, fabæ farina,& ammoniaco: quod ex notis iam dictis deprehenditur.

Gummi elemi quibusdam cedri lachryma est, aut oleæ Aethiopicæ, aut arboris ignotæ. Laudatur quæ resinosa est, stillis exilibus constans,leuis, valido odore & sapore.

Harmel Græcis harmala dicta,ruta genus est Dioscoridi descriptum in ruta Galatica. Quibusdam dictamnum album vulgare creditur: non conuenit tamen illi semen subrufum & triangulare. Hanc ob causam eius succedaneo vtimur, donec præstantius aliud reperiatur.

Hermo

Hermodactylus radix est officinis nota. Variæ sunt opiniones cuiusnam plantæ radix sit à veteribus descriptæ. Verisimilior tamen eorum est sententia, qui colchici radicem esse existimant, tametsi Dioscorides venenosam esse affirmet: nam medicamentorum purgantium magna pars ferè est eiusmodi. Hermodactylum vnum idémq; esse & Græcis & Arabibus credimus: itaq; huius nostræ radicis facultatibus freti, ea vtemur Hermodactyli veterum loco. Probatur candidus, corpulentus, plenus, grauis, non carioſus.

Hypocistis plantula est cisti radicibus adnascens, sine foliis, floris punici similitudine antequam explicetur, multis capitulis aut tuberculis constans rotundis, semini plantæ ab Italis *Grano d'India* vocatæ similibus, candidis, herbaceis, aut rufis. Præfertur subrusa. Ex Hypocistide liquor exprimitur præparatúrq; vt postea dicemus. Animaduertendum est ne Hypocistidis loco, colligatur planta aliquantulum ei similis, quæ vulgò cauda leonis vocatur, est enim orobanche Dioscoridis.

Hyssopum Græcorum herba est foliis & floribus origano similibus, hodie incognitum. Hyssopum Mesuæ domesticũ, est Hyssopũ vulgare quod in hortis colitur.

Sylue

Syluestre nascitur in montibus, thymúmque vulgare est. Vtrunque thymbræ species est, & Hyssopo substitui potest, præsertim sylvestre, thymum dictum.

IECVR Lupi, cæterorúmque animalium, sumi debet ex ipsis animalibus nondum adultis, vinóque odorato lauari: deinde vasi impositum, furnóq; probè siccatum, sed nõ exustũ, vasis vitratis reponitur absinthio ficco inuolutũ, ne putrescat.

LACCA Arabum, Græcis cancamum dictum hodie non reperitur: ideóque eius succedaneo vtendum.

Ladanum liquor est, ex alterius cisthi ledon appellati foliis exsudans. Hodie & liquor & planta nota sunt. Optimũ, minimèq; adulteratum, odoratum esse debet, subuiride, facilè mollescens, pingue, resinosum, arenularum aliarúmque sordium expers, quale in Cypro gignitur.

Lapis armenius, Italis verdazuro, quasi viride cæruleum dicas, tametsi ex Armenia non aduehatur: multi tamen existimant, eo qui ex Germania adfertur, vti nos posse, eo delecto qui est leuis colore, cæruleo, per quam æquabilis, & friabilis. Sed cùm nec eius magna sit copia, eius loco lapidem lazuli vsurpabimus.

Lapis lazuli, quem Græci cyaneũ, Itali azuro

azuro oltra marino, hoc est, cæruleum transmarinum appellant, lapis est cęrulei coloris, qui in ærariis, argentariis & aurariis venis reperitur. Optimus est qui in aurariis oritur, saturi coloris, maculas quasdam aureas stellarum modo radiantes habens, qualis is esse solet è quo fit color ille cæruleus. Huius vsus esse debet, magna cura adhibita, ne factitij pro eo sumantur; hos enim Pictoribus relinquere debemus, natiuóque vti, postquam benelotus erit vt dicemus.

Leuistico, quod Dioscoridi ligusticum, Galenus libisticum nominat, quamuis plerąq; plantæ multis partibus sint similes: nulla tamen adhuc reperta est, quæ eius omnibus notis respondeat. Itaque eius succedaneum cum reliquis vide.

Lignum aloës, Dioscoridi agallochum nominatum, lignum est quod ex India atque Arabia deportatur, varium, maculatum, odoratum, gustu adstringens cum quodam amarore; cortex eius corio similis, colore aliquantulum versicolore. Arabibus præfertur id quod ex India adfertur, crassum, nigrum, varium, solidum, graue, sine candore, & quod ignibus impositum diu perdurat.

Lignum guaiacum, quod nonnullis lignum

gnum sanctum dicitur, ebeni genus esse creditur. Optimum est graue, densum, interiore parte nigra, exteriore & illam ambiente subflaua: cortice leui, firmiter hærente, ligni scobe, si manibus comprimatur, simul cohærente, (quod pinguedinis eius indicium est) quod denique in sua decoctione multum odorem, saporem atque colorem relinquit: magnitudo autem aut paruitas fragmentorum nō sunt tam magni momenti, quàm notæ suprà dictæ: sed in hac parte mediocritas laudari potest. Aduertendum est cortice nos vti seorsim, quem plerunque fraxini cortice adulterari contingit, aut similibus, qui tamen dignoscuntur sapore & odore quodam peculiari.

Lithargyros lapis est è plumbo factus; plumbū enim dum secunda fornace excoquitur aut solum, aut metallo aliquo permistum, partim in Lithargyron, partim in plumbaginem vertitur. Duo sunt eius genera: vnum colore aureo: alterum argenteo: quò fit vt illud lithargyros auri, hoc lithargyros argenti nominetur. Inde verò hæc differentia nata est, quòd alterum altero maiorem vim ignis passum sit. Lithargyrium auri præfertur, hodie notissimum.

MACIS

MACIS nucis moschatæ exterior cortex est, in quo nux latet, quemadmodum auellana in suo putamine. Præfertur crassum, plenum, odoratum, sapore subacri; hodie notum.

Manna ros est, qui ex aëre in arbores, herbas, lapides, terrámq; decidens, densatur & cogitur in grana minuta. Præfertur calabra, præsertim quæ ex foliis arborum collecta est, quę ex hoc dignoscitur, quòd grano constet exiguo, transluce nte, graui, similis mastiches granulis, candidis, & gustu dulcibus & suauibus. Secundum locum obtinet quæ è ramis colligitur; Tertiũ quæ in lapidibus. Hæ crassiores sunt, & minus synceræ, colore turbido. Syriaca si fit perfectè granulata mastichæq; assimilis, valde etiam probatur, dulcis, & recens. Cùm iam exoleuit; floccorum bombacis refert imaginẽ, leuis concauáq; est. Adulteratur amyli farina, rebúsq; similibus: sed maleficium facilè deprehenditur. Insuper & ea quæ simul concreuit, saccharo & sena adulterata esse solet, ac croco, carthamíve flore tincta: verùm gustu deprehenditur.

Manna thuris, sunt minutissimę thuris micæ. Laudatur alba, pura, micarúmque frequentia prędita. Sunt qui cribrata pini resina,

resina, ac polline, aut cortice thuris contusi adulterant: sed hæc igne deprehenduntur, nam adulterata non æqualiter flagrat incensa, nec aërium vaporem, sed fuliginosum & impurum expuit, variúmq; odorem habet. Hodie minutissimæ thuris micæ sunt in vsu.

Marũ, maiorana nobilior esse creditur, videtúrq; ea mari loco substitui debere.

Mastiche lentiscina resina est. Præfertur resplendescens nitedulæ modo, & candore Hetruricæ ceræ similis, crassa, retorrida, odorata, friabilis; viridis inferior est. Adulteratur thuris resinæ'que pineæ nucis mistura.

Medulla ex florenti animali sumenda est, vt in adipe demonstrauimus. Colligitur æstatis exitu, hyemis initio. Duo eius genera; Medulla ex ossibus: altera è spina, quæ multum inter se differunt, ideóque singulæ seorsim reponendæ. Præparatur reponitúrque eodem quo in adipe diximus modo.

Mel optimum flauum, odore & sapore iucundo, acre, purum, syncerum, totum pellucens, tam sibi cohærens vt continuitatem suam quasi linea longissima non interciſum seruet, si digito attollitur.

Melilotis flore est luteo, colore vicino

croco, odorato. Laudatissima foliis constat minutissimis pinguissimisque: semen in siliquis teretibus profert rarum, rotundum, sinapi minus, colore luteo. Ex his manifestum est, eam quæ hodie in vsu est, non esse veram melilotum, non enim est odorata: nisi ex eius genere sit, quæ in Campania nascitur, odore infirmo, vt ait Dioscor. Diligentia itaque adhibenda est vt vera habeatur. Hanc nonnulli trifolium illud esse arbitrantur, quod locis montosis, sterili solo, ad meridiem spectante nascitur: foliis ciceri similibus, minoribus, maculis quibusdã stellarum modo distinctis: flore luteo fluescente: semẽ exili siliqua, in cuspidem desinente, flauũ continetur. Tota planta grauissimo est odore, theriacæ proximo, quam Hetruriæ incolæ herba bachaia appellant, quod ea infantium vermes enecant.

Meum anetho caule & foliis simile, sed eò crassius, binûm plerunq; cubitorum altitudine attollitur; sparsis in obliquum profundûmq; radicibus, longis, odoratis, tenuibus, linguam excalfacientibus. In altissimis Hetruriæ montibus hodie planta quædam reperitur planè cum hac descriptione conueniens. Quam ob causam diligentes Pharmacopolæ hãc nosse discãt, vulga

vulgaríque meo vti desinant. Quid verò, si reperiri non possit, substitui debeat, in succedaneis dicemus.

Mezereon, aut Dioscoridis thymelæa, quo nomine aliqui etiam chamælæam complectuntur: vtraque nota est. Prior foliis & frutice lini aut linariæ similitudinem refert: Chamælæa folia oleæ habet verùm minora.

Moschus excrementũ est cuiusdam animalis, certo anni tempore circa eius vmbilicum veluti in tumorem quendam concretum. Melior est Orientalis, substauus. Adulteratur quemadmodum & cætera quæ rara sunt: sed ex colore, odore & sapore dignoscitur, præterea etiam & ponderę; nam multa admiscentur in eo adulterando. Verùm cui syncerum & verum experientia cognitum est, ex his notis facilè fucum deprehendet.

Mumia Arabum, compositio quædam est ex aloë, myrrha, croco, & balsamo, qua cadauera condiebant, deinde aliquanto post tempore ex sepulchris eximebant, cum sanie quæ ex cadauere exudauerat, seruabántque in vsum medicum. Sed quia pice & bitumine corpora condiri etiã solebant: eaſdẽ illi facultates tribuũt quas Dioſc. piſſaſphalto, idémq; efficere

dicunt quod permixtum pici bitumen. Quod si verum est, cùm neq; veram mumiam, neq; Dioſc. piſſaſphaltum habeamus, arte conflari poteſt ex pice bitumini permiſta, vt in bitumine dictum eſt.

Muſcus arborum, quem vulgò vſneam appellant, lanugo ſicca eſt, in quercu, abiete, larice, multiſque aliis arboribus naſcens. Optimus eſt candidus & odoratus. Laudatur cedrinus, proximè populneus: Reliquis verò præfertur odoratus, albus, vt iam diximus.

Myrobalani Arabum differunt à Myrobalano, hoc eſt nuce vnguentaria Dioſcoridis, quã vulgus Ben appellat. Quinq; generibus diſtinguuntur, videlicet in Citrinas ſeu flauas, Chebulas, Indas, Emblicas & bellericas.

Citrinæ laudantur multùm flauæ, in viride inclinantes, denſæ, graues, gummoſę, cortice craſſo os paruum complectente.

Cepulæ ſiue chebulæ quo maiores eo meliores, nigræ, in rubrum inclinantes, graues, quæ aquæ impoſitæ ſtatim merguntur, cortice craſſo.

Indæ optimæ ſunt nigræ, ſubſtantia ſolida ſi frangantur, denſæ, magnæ, graues ſine oſſibus.

Emblicæ ſint magnæ, graues, denſæ, carne

carne multa, ossibus exiguis.
Bellericæ verò densæ, magnæ, graues, & cortice crasso. Quæ his notis carent, aut vetustate exoticæ sunt, aut aliud incommodum passæ sunt.

Myrrha Arabicæ arboris lachryma est. Huic tametsi non quadrent omnes notæ à Dioscoride descriptæ, cùm tamen multis sit prædita bonis qualitatibus, existimant nonnulli pro vera posse vsurpari. Eligenda est pinguis, resinosa, rubescens, densa, & splendens. Sunt qui affirment stacten liquidam, qua officinæ vtuntur, stillatitiũ myrrhæ liquorẽ esse, qui stacte veteribus dicebatur. Quod nullo modo conuenit: nam storax liquida factitiũ potiùs quiddam videtur, cuius nullus vsus pro myrrhæ stacte esse debet. Quod verò de opocalpaso scribit Galenus, quòd myrrhæ similitudinem gerat, sed venenosum & exitiale sit, multósque sua ætate mortuos esse, quòd in medicamentis opocalpasum pro myrrha assumpsissent, nemini nostra ætate contigisse audiuimus. Quod magnum argumentum est, nos vera myrrha carere.

Nigella, quam Dioscorides gith aut melanthium nominat, herbula est exilibus surculis frutícans, binos dodrantes

aut amplius altis, foliis minutis, aliquantulum ad senecionis similitudinem accedentibus, sed multò tenuioribus: capitulo in cacumine tenui, paruo, ceu papaueris, oblongo, intercursantibus intus membranis, quibus semen includitur nigrum, acre, odoratũ. Qua hodie vtuntur nigella, non est verũ melanthium, sed cumini forte syluestris apud Dioscoridem genus. Verum hodie reperitur, sed non passim, itaq; ahibenda est diligentia. Melanthij genus est, quod vulgò cardamomum minus creditur, nigellâque citrina vocatur, quæ, præter colorem, omnino cum melãthio suprà descripto conuenit: eius itaque vsus esse poterit veri melanthij loco, potius quàm vulgari nigella, que non est odorata, vt vera esse debet.

Nitri apud veteris multæ erant differẽtiæ, natiuũ factitium, & aphronitrũ, quod veluti nitri flos erat. Hodie vnicum habemus nitri genus, nempè boracem non excoctam, quæ quibusdã nitrum fossile est, eóque nitri loco vti possumus.

Salnitri, tametsi proximè ad nitri naturam accedat, nullus tamen eius in medicina vsus esse potest, præsertim in his quæ intrò assumuntur. Nitri in succedaneis etiam fiet mentio.

Nux

Nux moschata, arboris Indicæ fructus est, persicæ arbori (vt scribũt) similis, In hac enim nux moschata nascitur maci suo inuoluta, veluti auellana membrana illa sua exteriori. Macis inuolucro tegitur, quemadmodum & in aliis nucibus, putamen durum, quod in se nucem moschatam continet qua vtimur. Eligenda est recens, non exesa, grauis, succi plena, oleosa, odorata.

OESYPVS est succidarum lanarũ pinguitudo quam vulgò hyssopum humidã appellant: Cuius parandi ratio hæc est. Succidæ lanæ molles è collo feminibúsq; aqua feruente macerãtur, in eáque lauantur donec sordibus bene expressis, purgatæ extrahuntur, deinde aqua magno impetu lignea rude agitatur, aut vasculo excepta in aliam ex alto infunditur, quò largius sordida spuma supernatet, qua dissoluta, pingue supernatans aquæ, excipitur: rursus aqua agitatur, pinguéq; excipitur: & hoc deinceps tãtisper fieri debet, dum consumpta pinguitudine, nihil prorsus spumæ extet. Collecta pinguitudo agitatur & aqua pura respergitur, perpetuóq; ad Solem manibus miscetur, donec candida spectetur, & aquam non amplius inficiat, tum in fictili vase denso & bene

cocto reconditur,& in cella locoue frigido reponitur.

Opopanax ſuccus eſt effluens ex inciſa radice aut caule panacis quod Dioſcoridi heracleũ dicitur, Hodie cognita eſt planta & ipſe ſuccus, qui maximè probatur, quàm amariſſimus; internè albꝰ, aut ſubfuluus, foris colore croci, leuis, pinguis, friabilis, tener ſtatim in aqua eliqueſcẽs, graui odore: Niger improbatur ac mollis. Adulteratur ammoniaco, aut cera: ſed ſynceri experimẽtũ eſt, ſi digitis in aqua friatus reſoluatur & lacteſcat.

Opiũ ſuccus eſt è capitibus papaueris nigri. Duũm eſt generũ, vnum ex capitibus & foliis expreſſum, Græcis meconiũ vocatur; illud ignauius. Alterũ ex capitibus paululũ inciſis exſtillans, verum eſt opium. Optimum eſt denſum, graue, amarum, odoratu ſoporiferum, quod facilè aqua diſſoluitur, leue, candidum, neq; aſperum, neque grumoſum, quod colatum nõ ſtatim vt cera coẽat, quod in Sole diffundatur, & admodum lucernis, clara luceat flãma, & extinctum odoris vim conſeruet. Adulteratur glaucio, hoc eſt nẽmitha, aut gũmi, aut ſylueſtris lactucæ ſucco. Verum glaucio fucatum in dilutione croci colorem reddit; lactucaceo ſucco

deprau

deprauatum, inodorum est, & asperius: gummi vitiatum, infirmū est, & splendescit. Nec desunt qui adipem admisceant.

Origanum Dioscoridi trium est genera, heracleoticum, onitis, & sylueſtre: Quorum postremū copiosè in nostris maritimis nascitur: Reliqua duo cognita quidem sunt, sed rara. Tragoriganum est incognitum. Quod hodie in vsu est, ad nullum origani genus referri potest; primū quod in maritimis nascatur, vbi dūtaxat cætera crescunt origana; deinde quod gustatum, linguā non vellicat vt reliqua origana. Adulterinum igitur erit origanū, quia reliquis notis ita cum origano conuenit, vt gustu solo ferè distingui possit. Danda est opera vt legitimum habeatur, atque hoc reiiciendum. Verùm hodie ex Creta copiosè Venetias adfertur.

Orobus, siue eruum, illud est quod in Hetruria moco vocatur, vulgóque, cùm sit notissimum, scritur. Hoc itaque vtendū, non alio. Aliud supradicto simile Creta adfertur orobus illic nominatum, hoc nonnulli verū esse existimant: foliis est phasioli vulgaris, sed angustioribus, & minoribus: semine subflauo quod cum difficilè reperiatur supradicto vtendū est.

PAPAVERIS apud Dioscoridem sex

sunt genera. Primum syluestre rhœas dictum omnibus notum. Alterum, cãdidũ, capitibus oblõgis, candidis, semine albo: hoc etiam notum. Tertium & Quartum. nigrum, è quibus colligitur opiũ: semine nigro; vtrumq; Dioscoride papauer syluestre etiã dicitur: & illud notum est. Quintum papauer corniculatum, sic dictum, quod caput non proferat, sed siliquam oblongam & rotundam in corniculi modum, florem luteum, vulgo notum. Sextum papauer spumeum vocatur, hoc incognitum est. Quoties papaueris simpliciter & sine adiectione mentio fit, semper domesticum, hoc est album intelligendum est.

Piper arbusculę in India nascentis fructus est: quæ inter initia vt ait Dioſc. prælongum fructum veluti siliquam, quod piper longũ vocamus, profert; habet intus aliquid tenui milio simile, quod dehiscentibus siliquis racemorum in modũ prodit. Eorum grana acerba cãdidum piper vocãtur: matura verò, piper nigrum. Qui verò in Indiam nauigarunt. piperísque plantam viderunt, piper in planta bryoniæ simili nasci asserunt, diuersísque ex plantis longum & rotundũ colligi. Nihil tamen interest. Nigrũ eligi debet recens, grauiſſi

grauissimum, plenum. Candidum præfertur, non rugosum, candidũ, & graue. Lon gum optimũ, quod dum frangitur, solidũ intus conspicitur & compactum, gustu acerrimo linguámq; mordens. Adulteratur lõgũ herba similis: sed fucus deprehẽditur, si in aquã immittatur; nam adulteri nũ liquescit, legitimũ verò solidũ manet.

Pix è lignis pinguibus & resinosis fluit, præsertim è pino. Quibusdam tamen in locis, propter pini penuriam, ex picea, cedro, terebintho, cæterisq; similibus congregatur eo quẽ infrà dicemus modo. Pix naualis vulgò vocatur, éstque duorũ generum. Liquida & sicca. Liquida duorum item est generũ. Vna quæ primùm effluit, aquæ perquam similis, qua in Syria vtuntur in condiendis corporibus, & cedriam appellant, quòd ex cedro fiat: nam pinos non habent. Altera, secũdus est qui efluit liquor, qui vasculis collectus densatur aceto, sicq; coactus, pix brutia appellatur; in hoc solùm à priori differens, quòd concreta sit, colore fusco, & pinguior, hac picabantur vtres vinarij. Pix arida, fit è liquida iterum cocta, huius sunt itidem duo genera: vnum quod visci modo lentescit; alterum siccum & friabile. Præter hæc, aliud quoddam genus repe-

ritur,

ritur, quod pisselæon appellant: exprimitur ex lana qua excepti sunt vapores elati sursum quamdiu pix coquitur. Præfertur quod ex pice brutia fit. Aliud picis genus zopissam vocabant ex derasa nauibus resina & cera conflatã. Omnes hæpicis differẽtiæ reperiuntur. Liquida præfertur splẽdens, leuis, syncera. Sicca probatur pura, pinguis, odorata, subrusa, & resinosa. Improbatur adusta, fumum redolens, & acida. Probatur verò ea cuius fragmenta splendent, quæ dentibus pressa lentescit, & gustu est suaui.

Pix græca pini alteriúsue arboris resina est, aqua cocta, donec perdito natiuo odore, friabilis & arida reddatur: hæc colophonia vocatur, quòd è Colophone adueheretur. Per colophoniã igitur semper pix græca itnelligenda est, non quòd resina incocta nõ etiam colophonia vocetur, sed quòd in Medico vsu huiusmodi resinis nõ vtimur nisi coctis, aut rarò admodum, præsertim cùm liquidæ sunt.

Propolis in aluearíorum foribus & rimis, cerosæ naturæ reperitur, eligi debet flaua, odorata, styracem referens, mollis, & mastiches more ductilis.

Pulmones animalium recentes & sicci vsurpãtur. Sumantur ex animalibus pinguibus

guibus & robustis. Siccantur exépta aspera arteria in vase figulino impositа cliba no, & refrigerati, foliisq; absinthij sicci inuoluti reponuntur, vt de iecore dictũ est.

RESINA liquor est ex pinu, picea, abiete, aliisq; similibus spõte profluẽs. Eius duplex est differentia. Vna liquida, veluti terebinthina ex terebintho, larigna è larice, quę vulgaris Italię est terebinthina: nam eius quæ è terebintho profluit copiam non habemus. Altera arida, vt quæ ex pinu exit & è fructu arborum resiniferarum, thuri similis. Ex liquidis terebinthina resinas omnes antecedit, candida, perlucida, vitreo colore & in cæruleũ vergente, odorata, terebinthum olens. In huius locũ succesſit, vt dictũ est. larigna, quę mellis colore & odore esse debet. Ex aridarum genere eligi debet odoratissima, transluces, non retorrida, neq; nimium humida, friabilis, & quendam ceræ colorem præbens. Improbatur rubra, & dealbata. Ex his resinæ è picea & abiete cæteras antecedunt, & thus odore imitantur. Omnes hæ resinæ vno nomine pix græce vocantur, de qua superiùs.

Rha barbarum radix est inæqualiter exasa, non admodũ longa, rheo pontico perquã similis colore & substantia. Eius

tres

tres sunt differentiæ. Vnũ Indicum, omnium præstãtissimum: Alterũ Barbarum, secundum locum obtinens: Tertium Turcicum omnium ignauissimum. Laudatur subnigrum in rubrum inclinans, recens, graue pro raritate sua, confractũ, ex rufo & glauco alternãs, & croci modo tingẽs. Adulteratur, si aliquot diebus in aqua maceratur, vt facultas eximatur; fucus verò deprehenditur si in confracto ea varietas, quæ suprà dicta est, non conspicitur, nec croci modo tingit, sed leuius est, & magis adstringit.

Rha ponticum, quod vulgo rheuponticum dicitur, radix est nigra, cẽtaurio magno similis, sed minor & rufior, sine odore, fungosa, leuis; quæ trita, manducatáq; colorem reddit pallidum, ad crocum inclinantem, à rhabarbaro dũtaxat (vt nonnulli putant) solo loco in quo nascitur differens: nam rheum barbarũ ex regione Meridionali aduehitur, rheum verò ponticũ ex Septentrionali. Adhæc rheum ponticum radice constat longa & tenui, rhabarbarum autem crassa & breui. Aliquorũ præterea opinio est, eã plantã quæ hodie in hortis seritur rumici similis, quæque rhabarbarũ existimata est, verũ esse rhaponticũ; seséq; expertos asserunt easdem

eaſdem quas rhabarbarū habere facultates, ſi detur dupla quantitate. Adfertur ad nos verum rhaponticū, non eſt autem ea quā ſuprà centaurij maius eſſe diximus. Optimum habetur quod teredines non ſenſit, quod guſtatu cum remiſſa adſtrictione lenteſcat. Adulteratur decoctione: dignoſcitur verò quod partes externæ non ſint denſæ & compactæ, verùm rara ſubſtantia, & guſtu nihil, aut minimùm adſtringens.

Ribes rubeſcētibus fruticat ramis, ad viride inclinantibus, teneris, ſapore cum aliquantula aciditate dulci: foliis rotundis, latis & magnis: acinis guſtu acidis. Ribes quo hodie vtūtur, tametſi omnes iā dictæ notæ illi quadrare nō videātur; id tamē verò ſubſtitui poſſe exiſtimamus.

Rubrica, ſinopis Dioſcoridi dicta, q̄ in Sinope vbe vēderetur, terra rubra eſt. Hodie ad nos ex pleriſq; aliis locis aduehitur ſub boli armeni nomine, cuius ſupra in bolo meminimus. Maximè probatur ex Dioſcoridis ſententia, grauis, denſa, ad iecinoris imaginem vergens, calculorum expers, concolor, cùm diſſoluitur admodum fuſilis. Bolum autem intelligimus noſtratem.

Rubrica, qua hodie fabri vtuntur, aliud rubricæ

rubricæ genus est, sítque ex ochra cocta.

SAL, natiuus est & factitius. Natiuus vel in terra, vel ad mare ex aqua marina, vel in lacubus, vel in fluminibus, aut in fontibus. Natiui (quãuis variæ sint differẽtiæ, diuersíſq; locis reperiantur) in vſum tamen medicũ tres recepti sunt, videlicet sal ammoniacus, vulgo armeniacus dictus, sal gemmæ, & sal Indus. Ex his verò salem gemmæ dũtaxat habemus, candidum, transluceritẽ crystalli modo, éstque sal fossilis. Sal armeniacus hodie dictus, non est natiuus, sed factitius

Ex eorum genere qui sponte in aquis generantur multæ sunt differentiæ. Qui in mari nascitur, & in scopulis reperitur ex spuma maris conflatus, spuma sális appellatur. Qui in Iudeæ lacu gignitur, in quo & asphaltus nascitur, sodomeus vocatur, ab Arabibus sal naphthicus, amarus est. Hoc caremus, quemadmodum & reliquis natiuis in lacubus aut fluminibus repertis.

Factitiorum varia sunt genera, secũdum materiam ex qua fiunt differentia. Nam alij ex aquis salsis generantur, veluti marinus, & qui ex fontibus fiunt, vt sal communis: Alij ex cineribus, aliaúe materia, quemadmodũ sal alcali, qui fit ex herba cali,

cali, ex qua etiam soda appellata conficitur, & vulgaris armeniacus qui in Alexandria fit in balneis.

Cæterùm hodie pro efficacissimo in medicina sale gemmę vtimur, qui fossilis est vt diximus, & in Germania aliisq; locis eruitur. Præfertur deinde marinus. omniũ infirmissimus est vulgaris.

Saccharum candi tametsi Auicenna interdum salem Indum appellet, inter sales tamen referendus non videtur.

Is præterea quẽ Dioscorides salis florem, aut rectius maris floré nominat, sali multum dissimilis est, nihil enim aliud est quàm pinguedo quædam crocei coloris mari, Nylo & aliis lacubus innatans: eo tamen hodie etiam caremus.

Qui propriè flos salis dicitur, in salis fodinis reperitur, & in ipsis etiam salignis velut pollen quidam crassiorem salem ambiẽs: tenuiorum multo est partium quàm sal, colore candidissimo, interdum cinereo, qui inferior est:

Sandaracha lapis est in metallicis venis, plerunq; cũ auripigmẽto nascens, rufa est, cinnabaris colore, nonnihil ad luteum vergens, quæ cùm vritur, fumũ exhalat pallidum, sulphuriq; virus redolet, tametsi non cõsumatur. Facilè hodie legi

tima haberi potest: factitia tamen etiam fieri potest, si auripigmentum coquatur, donec cinnabaris colore cõtrahat, potestque verae sandarachae loco substitui. Sed animadvertendum est sandarachae vocabulo apud Arabes vernicem intelligi, quę nihil aliud est quàm gummi iuniperi, non autem prædictum lapidem. Itaque curam adhibeant Medici ne altera alterius loco indifferenter vtantur.

Sanguis, cuius in medicina vsus, ex mutis animalibus colligitur dum adhuc ætate florenti sunt. Sanguis Hircinus in hunc modum paratur. Maturescente vua Hircus quadrimus, bene habitus, iugulatur, mediúsq; effluęs sanguis fictili bene cocto excipitur; (nam primus tenuior, postremus crassior putatur) deinde coctus in aqua donec concrescat, arundine fissa secatur oblique & transuersim, vt quod in eo aqueum est effluat, deinde linteo raro tectus Soli exponitur atque ita siccatur, curandũ interea ne pluuiis aspergatur: deinde tritus vase vitreo, aut fictili vitrato bene obturato reponitur. Alij Hircũ, diebus caniculatibus, herbis calculum frangentibus nutriunt & vino albo odorato, donec vrina nigrescat, deinde iugulant, & in eũ quem suprà diximus modum præparant.

Hoc

Hoc præparationis genus etsi inutile non videatur, necessarium tamen non est, cùm apud Græcos sanguinis Hirci non eo modo nutriti, etiam vsus fuerit: sed medicamenta calculum frangentia admiscebantur.

Sanguis Draconis, q magno in vsu est, cinnabaris Dioscoridis esse creditur; an verò metallicum quiddam sit, an aliud simile, nihil certi ex veteribus elicere possumus. Plerique recentiorum gummi esse arbitrantur, ex arbore sui generis stillãs, vt terebinthina nostra vulgaris ex larice: colore est intẽtè rubro vt sanguis videatur, transparẽs, friabilis; vulgò sanguinis draconis lachryma vocatur, ad eius differentiã qui pro sanguine draconis venditur, adulterinúsq; est, eámq; ob causam reiicie dus. Sunt qui sanguinem draconis, achilleæ syderitidis succum defæcatũ siccatúmque esse putẽt, cuius rei nullam habemus certitudinem: posset tamen sanguini draconis substitui, cùm sit proximarum ei facultatum.

Sarcocolla lachryma est arboris in Persida nascentis, pollini thuris similis, colore candido aut rufo, gustu amaro: Præfertur rufa, gustu amarissima. Adulteratur gummi; sed gustu deprehenditur,

adulterina enim amara non est.

Satyrij nomen apud Arabes omnibus orchios generibus commune est, eáq; distinguunt in testiculos canis & testiculos vulpis: per vulpinos intelligētes, quæ propriè à Græcis satyria vocātur, radice bulbosa, mali magnitudine, foris fulua, intus candida. Hodie testiculi canini pro vulpinis, Dioscoridisq; satyrio sunt in vsu: nam vero satyrio carere videmur: aut si habeamus, nondum tamen dignosci possunt inter tam multas testiculorum differētias, cùm omnes, si cū descriptione conferātur testiculi canis videantur: eis pro vero satyriovti nos posse arbitramur. Hodie noti sunt. Radix superior, quæ maior & plenior est, Venerem stimulare: inferior verò, quæ mollior ac rugosior est, inhibere creditur.

Scammoniū stillatitius liquor est plantæ Græcis scammoniæ dictæ. Laudatur nitidum, rarum, leue, colore quàm simillimū taurino glutini, fungosum, tenuibus fistulis. Addunt nonnulli, vt linguæ tactu albescat: sed vt ait Dioscorides huic notæ fidendum non est, hoc enim euenit adulterato, quod admisto sit tithymali lacte: hæc autem nota longè certior est, nēpè, si gustatu linguam non vrit, quem admod

modum tithymalus. Adulteratur tithymali lacte & farina orobi, sed ex notis prę dictis dignoscitur.

Scordium planta chamædry similis, hodie cognita, Huius in medicina vsus esse debet, non allij syluestris.

Scoria, Latinis recremẽtum appellata, differt à squamma. Scoria autem illud est quod à vena metallica dum coquitur excidit, quódque vbi metallum in catinum defluxit, ab eo detrahitur. Scoria itaq; veluti metalli spuma est, tametsi etiam ab eo derrahatur in secunda coctura, cùm videlicet argentum ab ære aliísve metallis separatur. Prima scoria grauissima est, qa aliq d adhuc metalli admisti habet, ideo secundò & tertiò recoquitur, donec totũ metallum exemptũ sit, & scoria quæ subsidit leuissima est, & veluti spõgia. Eximitur scoria ex venis auri, argenti, æris, plũbíq; candidi & nigri: Ex argenti verò viui, plumbíque tertij generis, quod cinereo colore est, vena non detrahitur scoria: nam ex his prius effluit metallum, quam vena adeo cocta sit vt scoria fieri possit. Omnis scoria nitida esse debet nigróq; colore, ea excepta, quæ fit vbi argentum ab ære separatur (hęc enim vario colore esse solet) & scoria plumbi nigri

quæ ad luteum colorem accedit,& tenuis est,plerunq; vitri luteo colore tincti splē dorem imitatur:tametsi etiam reperiatur plumbo nigro supernatans,quæ colore ar genteo spectatur.

Scoria plūbea ea optima est teste Dioscoride,quæ ad luteū colorem accedit, & vitri splendorem imitatur,densa,fractu con tumax, nihil plumbosum habens cerus sam repræsentans. Diligens pharmocopœus scorias requirere debet ex officinis metallicis vbi metallica excoquuntur.

Serapinum,quod Græcis sagapenū nun cupatur, ferulaceæ herbæ succus est. Op timum est transluces, fluuo forinsecus colore,& intus albo, nescio quid inter laser & galbanum redolens, gustu acri.His addit Mesue vt sit spissum, & leue, odore porri,facilè in aqua resolubile,quia quod has notas nō habet,adulteratū aliis gummis censetur. Præstantius est quod ex Oriente aduehitur,quàm quod aliunde.

Spica Celtica exigua plāta est folia habens oblonga in extremo lata,florem luteum; ad radices multa exigua habet ad nata spicis minutis similia:hæc cum radiculis, abiectis, in vsu sunt & valde odorata. Adulterantur impositā herba simili; sed facilis cognitio; nam folia adnataque

breu

breuiora habet, candidior est, neque amara, neque odorata: uera celtica spica est. Laudatur maximè recens, iucundi odoris, radice numerosa cohærens, non fragilis, & plena.

Spica nardi teste Galeno radix est, non spica. Nota est. Eligitur syriaca ducta, cuius hæ sunt notæ, vt sit breuis spica, largam gerens comam, colore flaua, odorata, aliquantulùm redolens cyperum, amaro sapore, linguam siccans, quæ diu in sua odoris gratia permanet. Adulteratur tribio cum aqua aut palmeo vino ponderis causa inspirato. Sed ex præcedentibus notis dignoscitur. Madefacta etiam vendi solet: quod vitium ex eo deprehenditur, quòd candida sit spica, squalida, nullóque pulueri obsita.

Spodiũ in æris fornacibus inuenitur, vbi & pompholyx, quæ Arabum tiutia est. Fiunt ex fauillis è metallo dum coquitur, emicantibus, & specie differunt. Nam spodium fit è partibus crassioribus, & in ærariarum officinarum pauimentis reperitur, ideo multum terræ colligit, & spurcitia refercitur. Pompholyx fit è tenuissima fauilla quæ in altum euolat, & tecto fornicique adhærens, aquarum bullis simile prodit, quæ per pluuias inter veris

initia erúpunt, colore albo, quæ in tenuissimum pollinim; similé puluerem dissoluuntur. Similes habent facultates, sed pōpholyx tenuiorū est partiū. Hodie vtrunque cognitum & facilè ex Italia & Germania, vbi sunt ærariæ officinæ, haberi posset: sed his substitui possunt Dioscoridis antispodia, aut officinarum thutia vt in succedaneis dicemus.

Spodium Auicennæ fit ex arundinis radicibus, eiúsq; vsus est in ab Auicenna præscriptis medicamentis, nam antispodij genus est. Illud verò quod ex boū similiumque animalium cruribus confectum officinæ vsurpant, præstat, reiicere, eiúsq; loco, aut Auicennæ aut Dioscoridis aliquo antispodij genere vti in his præsertim quæ intrò sumenda sunt medicamētis: in his verò quæ foris adhibentur, aut vero spodio, aut pompholyge, aut thutia officinarum præparata.

Squamma est quæ malleorum ictibus de metallis, dū adhuc candent, excutitur: verum enimuerò ex ære duntaxat & ferro decutitur squamma.

Aeris squamma eligenda est rufa æris modo, crassa, aceti respersu æruginē contrahens, veluti ea est quæ ex ære rufo decutitur, & olim ex ære Cyprio. Improbatur tenu

tenuis, inualida, candida aut nigra.

Stomoma ferri squáma est ex ferro decidens dum aqua extinguitur ad eius indurationem aliámve ob causam. Vtraque in fabrorum officinis reperitur.

Squinanthũ, seu schœnu anthos, id est iunci odorati flos, omnibus notum est. Eligendum rufum, intento colore, recens, tenue, rubeuntibus fragmentis, quod manibus confricatum rosæ odorem emittit, igneę mordacitatis ad linguam. Olim planta ipsa cum floribus aduehebatur, vnde schœnu anthos nomen sumpsit; ideóque eligebatur floribus refertum. Hodie tamen ad nos culmi duntaxat & radix aduehuntur. Itaque cura adhibenda est, ne alij culmi his admisceantur, quod ex iam dictis notis deprehendi potest.

Storax hodie duorum est generum. Vnum storax calamita appellatur, Græcis simpliciter styrax. Alterum storax liquidus qui myrrhæ stacte, quæ pinguissima myrrhę pars est, pleríq; esse creditur; hoc tamen falsum esse deprehenditur in eo qui in officinis est. Styrax calamita gũmi est arboris malo cotoneæ similis. Præfertur flauus, crassus, resinosus, albicãtibus grumis, quam plurimùm in sua odoris gratia permanens, qui, dum mollitur, melleum

liquorē reddit. Deterior niger, friabilis, & furfuroſus. Adulteratur ligni ipſius ſcobe, melle, cera, adipe odoribus imbutō, & quibuſdam aliis. Dignoſcitur quod adulteratus inualido ſit odore; ſyncerus verō admodum acer ſit. Quj hodie officinis in vſu eſt, aliqua ex parte Dioſcoridis deſcriptioni conuenit, eóque vtendum arbitramur, donec melior proponatur.

TAMARINDI fructus ſunt arboris, vt volunt nonnulli, ex palmarum genere. Eius folia ad hyperici folia multum accedere conſpecta ſunt, etiamſi à quibuſdam ſalicis folia illi tribuantur. Fructus, cuius hodie vſus, notus eſt. Probantur colore è nigro in rufum langueſcente, teneri, multis villis interrexti, recentes, pingues, nō retorridi, ex dulcibus acidi, & vinoſo ſapore. Adulterantur prunorum carne, ſed in his nigredo eſt obſcura, humētiores ſunt, & prunorum odor & ſapor illis ineſt. Seruantur in fictile vitratum coacti, loco frigido & ſicco.

Terra ſigillata officinarū terra Lemnia Dioſc. & Galeni eſſe debebat: Hoc tēpore duo terrarum genera Conſtantinopoli adferuntur; vna rubeſcens, in placentulas quaſdam exiguas formata characteribus Turcicis ſignata: altera ex cineritio colo-

re

re candicans, maioribus formata placentulis, characteribus item signata Turcicis. Magno in pretio sunt apud Turcos, maximéq; commendatur aduersus venena, neq; facilè earum copia haberi potest. Quæ Constantinopolim adferuntur, non è Lemno, sed aliis ex locis multóque longiùs dissitis aduehuntur, itaque arbitrandum non est vllam ex iam dictis, terram Lemniam esse. Rufa, quibusdam è Lemno aduehi, veráq; terra Lemnia esse creditur. Pleriq; bolum armeniam Orientalem veram esse terram Lemniam crediderunt. Sed nihil certi statuere possumus: magis tamen illi quadrare videntur terræ Lemniæ notæ, quam duabus prædictis. Reperta est etiam in Melita, terræ quoddam genus candidum, leue, quod à circunforaneis impostoribus venditur aduersus venena efficax. Itaq; terræ Lemniæ loco commodè, aut bolus armenia ex Oriente petita, aut prædictarum aliqua sumi potest, tametsi Turcicæ aduersus viperæ morsus non admodum efficaces sint, multóque minus quæ ex Melita adfertur. Verùm si bolus armenia aduersus viperæ morsus eam haberet vim quã terræ Lemniæ tribuũt, terra Lemnia legitima sine cõtrouersia esset, aut saltem illi

securè subſtitui poſſet; & facilè eſſet experimẽtum quemadmodum de Turcicis terris in canibus à vipera demorſis periculum fecimus, nam quibus allium cum vino datum eſt, hi liberati ſunt; quibus verò terræ ſuprà recitatæ, hi mortui ſunt, aut magna cum difficultate liberati.

Terræ ſigillatæ officinarum, cùm ne vna quidẽ nota Lemniæ quadret, nullus vſus eſſe poteſt, niſi in iis duntaxat medicamẽtis quæ foris adhibentur: hæc enim nihil præter manifeſtarum qualitatum operationem deſiderant.

Thlaſpi, herbula eſt Dioſcoridi anguſtiis foliis, digitali longitudine, in terram verſis, ſubpinguibus, in cacumine diuiſis: duũm dodrantum cauliculo, tenui, nõ ſine adnaſcẽtibus ramis circa quos, follicu los quoſdã in latius ſe pandentes, & compreſſos inſtar lentis, ſupremáq; parte fiſſos profert in quibus continetur ſemẽ naſturtio ſimile: flos albicat. Hodie cognitũ eſt, & quamuis in Hetruria rarum ſit, facilè tamen aliunde aduehi poteſt. Dioſcorides aliud thlaſpi genus ex Crateua deſcribit, latioribus foliis, radicibus maioribus. Hoc frequentius eſt, poſsítque prioris loco vſurpari.

Thuris cortex, qui ex arbore thuriferа detrah

detrahitur, præfertur pinguis, odoratus, recens, leuis, craſſus, ſine membranis. Adulteratur admiſto pini aut nucis eius cortice: ſed horũ index ignis eſt: ſiquidem thuris cortex legitimus paulatim ardet, & cũ odoris fragrãtia vaporẽ eiaculatur: adulteratus verò nequaquã incẽditur, ſed totus in fumum ſine odore conſumitur.

Thymum apud nos non creſcit. Planta quædã peregrina adfertur foliis exiguis, odoratis, flore purpuraſcente, quæ proximè ad thymum accedit: Eius verò cum in Hetruria copia nõ ſit, vtemur ſuccedaneo.

Trifolium, quod Græci oxytriphyllon, aut aſphaltion appellant quòd bitumen redoleat, multas habet virgas tenues, cubitum aut amplius longas: folia magna, acuminata, terna ſingulis germinationibus exeuntia, quibus recenter enatis rutæ odor ineſt, vbi autẽ adoleuerunt, bitumen olent: florem edit purpureum, ſemen latum, hirſutum, ex altera extremitate exertum corniculi modo: radix longa, tenuis, dura. Copioſè naſcitur circa Elbam & Petram ſantam Hetruriæ: Huius vſus eſſe debet non trifolij pratenſis, quod à vero trifolio maximè differt à Græcis deſcripto.

Turbith plantæ cuiuſdam lacte manan

tis

tis radix est. Hęc cãdida est, & alypi radix Dioſc. esse creditur; aut nigra, lutea ve, quã pityusam plerique esse arbitrãtur. Verum, vtcunq; sit. præfertur hodie candida, quæ ex Syria adfertur, verúmq; turbith albũ esse creditur, aut ei substitui posse. Præfertur vacuum vt arundo, gummosum, cortice cineritio plano, fractu facili. Adulteratur, inducto foris gummi dissoluto: sed fractum fraudem detegit, nam nullum gummi in fragmentis apparet.

Thutia officinarum, veterũ cadmia est. Gignitur in fornacibus ærariis fuligine flatu egesta, veluti spodium, & pompholyx, quę vera est Arabum thutia. Cadmia ex crassiore fit materia; quæ aut in sublime fertur, altioribúsq; fornacum locis insidet, vuarum modo concreta, botryitésq; appellatur; aut ferreis virgis adhæret in hunc finem fornacibus applicatis: aut parietibus fornacũ insidet, hæc placites nuncupatur. Hódie maiorem eius copiam habemus, quæ ferreis virgis adhæret, quàm aliarum duarum, tametsi plurima adulterata reperiatur ex lapide quodam trito, & cum aqua alióve liquore, & sulphure in luti modum coacto virgísq; inducto deinde cocto. Dignoscitur colore qui non est ita fuligino sus neq; ad cæruleum vergens vt

in

in vera: tum ipsis granulis aut corpusculis, quæ veluti in vera simul cohærere nō conspiciuntur: deniq; ipso pondere, nam vera & legitima multò grauior est adulterata.

Reperitur etiam aliud cadmiæ genus lapidis similitudine in æreriis fodinis teste Galeno, tametsi Dioscor. neget; imò hodie adhuc reperitur, hisque vsui est, qui auricalchum conficiunt. Melior est botryitis, quam rarò nostro hoc seculo videre contingit; aut quæ Alexandrina nuncupatur, hæc ea est quæ circum virgas aut rudes ferreas insidet, & modo iam dicto ab adulterata dignoscitur.

VALERIANA, quæ secundum quosdam Dioscor. phu appellatur, hodie nota est. Eius duo genera reperiuntur. vna domestica & maior in hortis seritur: altera syluestris & minor in agris sponte nascitur. Maioris radix satis ad phu accedere creditur, eiusque loco substitui posse. In succedaneis alia simplicia enumerabimus, quæ ex Galeni sententia phu substitui possunt.

Vitriolum, quod Græcis calcanthum, Latinis atramentum sutorium appellatur, duplex est: Factitium & Natiuum. Natiuum in terræ venis, aut saxorū commissu

missuris concretum reperitur: aut dum ex iis guttatim distillat, partim ex iis stiriarum instar dependet, partim in canalium fundum decidit.

Hodie aliud item genus in terræ superficie concretum reperitur, quod vulgò copparosa vocatur.

Factitium etiam duplex est. Vnum quod in Cypro peculiariter fiebat ex aqua quadam manante ex soryos, chalcitidis, & misyos fodinis, atque in piscinas quadratas effusa, ibi sponte concrescebat. Alterum fit decocta aqua in qua maduerit terra quædam atramentosa, vt hodie moris est in multis locis.

Natiuum factitio præstantius est: ideo in eorum numerum copparosa Cypria referri potest, cum sit aliorum penuria. E' factitij generibus, Cyprium excellebat: cùm verò desit, vitriolum Romanum aut Siculum vsurpari potest, veluti præstantissimum inter factitiorum genera.

DE

BIBLIOTHEQUE du MUSEUM

DE MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM PRÆPARATIONE.

Sectio secunda.

De Purgatione.

MEDICAMENTA simplicia purgare, nihil aliud est, quàm quicquid medicamentis inutile inest abiicere, seu pars medicamentorum sint, seu illis permistæ sordes; veluti repurgantur aut eluuntur radices fructus, semina, & cætera similia, quando terra aut alia re commaculata sunt, vt in omnibus rebus fit vulgò: aut veluti gummi & resinæ, quibus plerunque aut terra admista est, aut lignum, aliæve res inutiles: hæc enim liquantur & colátur, deinde purior pars in vsum venit medicum. Medicamenta etiam ab inutilioribus partibus repurgantur, veluti radices tum recentes, tum ficcæ, membrana illa exteriore, quę terram contingit, cultello abrasa: repurgantur etiam exempta medulla interiore, quæ in multis inutilis est, veluti in cucumere agresti, dauco, pastinaca, apio, multísque aliis huiusmodi, per me-

dium sectis, corticéque à matrice separato. Siccæ macerantur, deinde mediæ secantur, eximiturque pars interior vt in recentibus.

Floribus eximuntur pediculi, culices, foliáq; sola reseruantur, quemadmodum violæ purpureæ, leucei, lutei: in quibusdam etiam foliorum pars aliqua demitur: veluti in rosis ea pars qua calyci inhæret, vnguis appellata; vt si quando in compositionibus reperire est, vngue detracto, intelligendum est eam particulam ablatam esse debere.

Fructus à cortice repurgãtur exteriore, & à semine suo, & ab interiore parte illa lignosa si sint recentes, densi, multæ carnis, & cortice tenero, veluti cydonia, mala, persica, hæc enim cultello depellata secãtur, interioréq; parte lignosa, qua semina continentur, repurgantur. Si verò fructus sint exigui, veluti cerasa, pruna, similiáq;, cribro transmittuntur, & sola pulpa, quæ vtilis est, seruatur. Illi ipsi fructus, si sicci sint, macerantur & coquuntur, deinde cribro cernuntur, veluti vuæ passæ, pruna, tamar Indi, dactyli, & similes.

Fructus duro cortice præditi, vt amygdalæ, strobili, nuces, pistacia primùm contracto putamine eximuntur: postea aqua frigi

frigida aliquandiu macerantur, tum efferuent, aut farragine igni siccantur, donec corticem interiorem remittant, & manibus confricantur, aut sacculo aspero immissi agitantur, donec depellantur.

Semina cortice denso vestita, sicuti fabæ, pisa, cicer, purgantur leuiter tundendo donec confringantur, deinde vanno in aërem iecta cortices euolant.

Alia sunt semina, quorum admodum operosa est decorticatio, propter corticē illis nimium inhærentem, veluti cnici, & hordei quæ modo suprà dicto siccantur, fricantúrq; sed ea excorticandi ratio semina corrumpit. Præstat igitur ea semina macerare, hordeum præsertim, deinde in mortario magno & amplo concutere pistillo ligneo, & leuiter agitare vt quod in fundo est supernatet, separatur enim paulatim cortex: verum si non amplius supernatet, sed cogitur in vnum, tum vase aut vanno exceptum sursum conijcitur vt vento paleæ separentur: deinde iterum atque sæpius idem faciendum est, donec mundum sit: postremò aut sole, aut igni in farragine persiccatum seruatur in ptisanæ Græcorum vsum. Eadem est cnici decorticandi ratio, sed operosior: itaq; placuit quibusda vt semen cum cortice tritū

in aquam aliúmve humorem immittatur, & per linteum rarum colatur, nam cortice relicto sola pulpa cum humore transit.

Peponum & cucumerum semina eodem modo purgantur, præsertim si non sit otium singula sigillatim decorticandi: nam operosum id est, & ea quæ ante alia repurgata sunt facilè inueterascunt & inutilia redduntur.

Adipes liquati colando à membranis repurgantur aut cultello. Eiusmodi sunt purgationum differentiæ quas pharmacopœum scire necesse est. Sunt præterea & aliæ, sed illę ad eos qui metallica & chimisticâ tractant magis spectare videtur.

De Siccatione.

SVPRA dictum est qua ratione siccentur medicamenta simplicia recens collecta, veluti herbæ, flores, fructus, radices vt melius conseruari possint.

Nunc supereſt vt de ea parte agamus, quę de medicamentorum præparatione reliqua est. Plerunque ergo necesse est vt magis siccentur medicamenta, quàm si simpliciter seruanda essent, veluti si terenda sunt. Siccantur autem aut Sole, aut igni, aut fumo, aut vento Septentrionali pro Medicorum arbitrio.

Siccan

Siccantur amygdalæ, strobili, pistacia, aliiq; fructus, vt faciliùs illis inhæreat saccharum quo inducuntur, ne, dum adhuc humida sunt, saccharum suã candoris gratiam deperdat: tum etiam vt faciliùs à secundo illo cortice seu pellicula liberẽtur.

De Salitura.

Salitura ad medicamentorum præparationem confert, & condituræ genus est. Quemadmodum carnes viperinæ tanto sale insperguntur quantum ciborum conditura postulat. Confert item vt medicamentis qualitate aliqua imbuas: veluti fit hystricibus, echinis terrestribus, multisque aliis animalibus, quæ in vsum medicum vruntur: sed his multo sale opus est, ita vt sale operiantur & repleantur. Vtilis præterea est ad medicamentorum conseruationem; veluti sunt animalium partes, & pleraq; animalia, quæ multo sale indigent. Cæterum sale condiuntur, vt in siccitate conseruentur, & postquam conuenienti temporis spatio sale operta fuerint, eximantur, ventóque aut fumo exponantur, donec siccata sint. Aut sale condiuntur, vt humida permaneant, & ea primùm in muriam immittuntur; aut in illa ipsa muria relinquuntur quæ ex sale animaliúmque humiditate generatur.

De humectatione.

VTILIS est hæc humectatio, ad condiendos fructus, radices, peregrinósque cortices odoratos, quos cùm recentes habere non possimus, maceramus donec humiditatem contraxerint.

Hordeum præterea & cnicus, vt suprà dictum est, aqua insperguntur vt à cortice repurgentur.

Humectantur autem odorata nonnulla veluti ambra, moschus, si terenda sint, ne tenuiores & odoratæ partes exhalent.

Quædam verò herbæ veluti cotyledon, portulaca, semperuiuum, & similes, quæ paucum succum cúmq; glutinosum sortitæ sunt, humore aliquo simili humectantur, terendo, & superinspergendo dictum humorem, quicum dictarum herbarum succo (aliàs enim nullum remitterent) exprimendo redditur: in hanc autem rem variorum humorum est vsus, secundum Medicorum præscriptionem.

De Nutritione.

NVTRITIO humectationi similis est, sed in hoc differt, quòd cum pauciore humore & subitò fiat, quoniam id quod irrigatum est confestim Sole siccatur, aut igni, deinde idem quinto aut sexto repetitur; quemadmodum sarcocolla lacte

Asinæ aut muliebri nutritur, & semen cari, myrobalanique emblici, tãto lacte insperſi quantũ imbibere possunt, siccãtur.

Cuminum insperso aceto nutritur, & eadem ratione resiccatur.

De Infusione.

IN infusionibus, quæ ad medicamentorum præparationem conferunt, humor in quo fit infusio, considerãdus est; & eius temperamẽtum, calidúsne sit an frigidus; & quantitas; & tempus quo in infusione permanebit.

Infunduntur fructus & radices, quæ humectandæ sunt ad condituram, & conseruas, in aquam calidam copiosam, donec humorem ad sufficientiã imbiberint, deinde coquuntur.

Sic quæ nutrienda sunt pauco humore calido frigidóue macerãda sunt, idque non diu.

Quæ coquenda sunt, præsertim ea quæ sicca sunt, veluti flores, herbæ, radices, semina & fructus (nam facilius ita coquũtur) in iusta humoris calidi frigidíue quantitate macerãtur, pro præscriptionis scopo, & aliquãtulo spatio ibi relíquũtur, donec humecta sint: Hinc fit vt facilis eorũ postea sit coctio. Sic & semina quæ ad

infundendas mucilagines infunduntur.

Rosæ & violæ sub vesperã aqua bullita macerantur in proximum diem, deinde exprimuntur, & in eandem aquam aliæ recentes infunduntur, idémq; sæpius in eadem aqua fit, ad mel rosatũ colatũ, aut syrupum rosatum solutiuum, syrupum rosatum recentem, syrupum violatum simplicem, & syrupum violatum solutiuum conficiendum.

Ammoniacum, galbanum, opopanax & sagapenum aceto infunduntur, vt dissolutione purgari, & commodius misceri possint, vt dicemus.

Infunduntur medicamenta purgantia in varios humores, & cũ variis aliis medicamentis, quæ malã eorum qualitatem corrigant, pro variis Medicorum scopis: exempli gratia, rhabarbarũ plus vel minus tritum pauco vino albo inspergitur, donec colorem emittat, deinde in liquorem à Medico præscriptũ infunditur ea quantitate vt rhabarbarũ tegatur, addita spica nardi, aut alia aliqua re præscripta.

Agaricum, cæteráque medicamenta purgantia, sola infundũtur, aut aliis quibusdam adiuncta, eodem modo.

De Dissolutione.

DISSOLVTIO multorum medicamentorum

mentorum præparationi vtilis est, sicuti & infusionem, vt à sordibus expurgentur ac commodè aptari possint.

Quod ad præparationem attinet: Medicamenta variis humoribus, variisq; modis dissoluuntur pro medicamenti præscripti scopo, & peculiariter lachrymæ vt galbanum, ammoniacū, opopanax, & similes: nam vino aut aceto dissoluuntur, deinde ad locum agitantur vt colatione purgari possint, meliúsque in medicamētorum compositione premisceri.

Vitriolum, misy, chalcitis, melanteria, & alumen, primùm trita, aqua, vino, & aceto dissoluuntur, pro rei exigentia.

Metallica quædā æstate dissoluūtur aceto, & ad Solem multos dies agitantur, quemadmodū ærugo, squamma, flos æris.

Lithargyros soluitur aqua, vino, oleo, & aceto, faciliùs tamen aceto, vt in oxelæo Galeni dicetur.

Conchæ, & vngues dissoluuntur succo limonum. Opium Thebaicum soluitur aqua, aut liquore, aut oleo, aut adipe: nam illorum substantiæ non permiscetur.

Solutio infusioni proxima est, & ab ea solùm differt, quod in dissolutione minus humoris requiritur quàm in infusione: præterea quod in dissolutione mouēdum

est id quòd soluitur, in infusione nequaquam. Denique multa medicamenta vt dissoluantur igne egent.

De Liquatione.

LIQVATIO à solutione differt. Nã liquatio perpetuo fit aut ignis calore, aut Solis, rerúmue putrefactione calescentiũ: Pleraque verò sine calore dissoluuntur. Præterea, quæ soluuntur humore aliquo semper opus habent: quæ verò liquantur nullo egẽt humore, veluti adipes, medullæ, olea concreta frigore; hæc siquidem exiguo igne liquantur, aut Sole, aut duplici vase.

Ambra carabe appellata, bitumen Iudaicum, pix, pix græca, cera, gummi, maiore calore opus habent, non tamen tanto vt frigantur.

Plumbum, argentum, aurum, æs, multo maiore calore opus habent: ferrum verò ægerrimè liquatur; tametsi rarò aut nunquam contingat pharmacopœos huiusmodi liquare, sed hos dũtaxat qui metallica tractant.

De Mollitione.

MOLLITIO liquationi proxima est: nam quæ liquantur medicaméta, eadem mollescunt leuiter calefacta aut igne, aut sole, & pistillo calido subacta, aut manibus

bus calidis tractata, vt fit cum emplastra in corio aut aluta extenduntur.

Pleraq; alia, nec pinguia, nec resinosa, sed suapte natura dura & sicca molescūt affuso humore aliquo, vt in catapotiis vsu venit & aliis medicamentis.

De Duratione.

DVRATIO fit, frigore coalescentibus iis quæ liquantur, & molliuntur calore: quædam verò admistis, pro rei necessitate siccioribus durantur.

De Calfactione.

MEDICAMENTA igne, sole, & rerum putridarum calore calefiunt. Quæ humida sunt, & igne calefiunt: commodiùs duplici vase calescunt, quorum alterum maius scilicet plenū sit aqua tepida aut feruida, alterum verò plenum sit medicamēto quod calfaciendū est, ea ratione vt minus vas in aqua maioris constituatur: idq; à recentioribus balneum mariæ, à veteribus duplex vas aut diploma appellatur, eadem enim omium est significatio.

De Insolatione, & ea quæ sub fimo, vinaceis, & sausa seu fracibus oliuarum fit, putrefactione.

INTERDVM hç cōferūt ad calefaciē

da

da medicamẽta: plerunq; ad ea cõponenda, & ad perfectionẽ reducenda: & instar coctiõis est. veluti olea simplicia quibus flores infunduntur, rosæ, violæ, chamæmelum & similia aliquot diebus insolantur: sic etiam ad saccharum candi perfectè coquendum, iuleb ampullis quibusdam insolatur.

Scillæ succus, vt dicemus, extrahitur insolatione: quod si Sol non splendeat, igne: aut quod commodius est, duplici vase, diu, & ex interuallis, & interdum bulliendo.

Idem etiam fiet, si fimo, aut vinaceis, aut sausa oliuarum calfactarũ obruantur. quemadmodum chalcitis, & cadmia, vt fiat sporicum: & iuleb ad saccharum candum conficiendum: & pleraque alia medicamentorum genera.

De Coctione.

MEDICAMENTA simplicia aliquo humore coquuntur aut vapore, hoc genus coctiõis elixatio vocatur: aut cum siccitate, & hoc assatio appellatur; Coctio autem fit ad præparationem, & ad compositionem. De præparatione nunc dicemus.

Quæ in humidis coquuntur, ea gratia id fit, vt ipsa medicamenta sic cocta vsui esse

esse possint, aut vt humoris duntaxat in quo cocta sunt vsus sit.

Rursus quæ, vt coctis vtamur, coquuntur, plus cocturæ requirũt, quàm ea, quorum decoctio in vsu est. Sunt tamen certæ quædam notæ, quæ denotant, an huius aut illius rei gratia bene coctę sint: vt herbæ, radices, flores & fructus cocta sunt, quando ita tenerescunt, vt tundi, & per cribum transmitti possint.

Semina quædam, veluti lini, fœnigræci, hordei, cocta cẽsentur vbi crepuerint: alia quædam veluti anisi, coriandri, & cumini, quando tenerescunt.

Fructus peregrini & sicci, vt sunt myrobalani, cortices, ligna, & radices siccæ, multam desiderant cocturam.

Herbæ & flores facilè coquuntur & citò tenerescunt, tametsi inter sese differãt, prout magis tenuium sunt partium, & illorũ facultas in superficie sita est, vt chamæmelum, adianthum, serpillum & similia, quæ quando vna cũm aliis coquũtur, primùm immitti debent cùm illa propemodum cocta fuerint.

Eadem est ratio radicũ tenuium partium aut odoratarum, vt est asarum, valeriana, spica nardi, & alia aromata, quæ sub finem decoctionis iniiciũtur, sed post

reliqua

reliqua medicamenta flores.

Elixationis autem multæ sunt differentiæ. Primus modus est, vt vasi certæ quandam ac præscriptam humoris quantitatem cõtinenti infundãtur quæ coquenda sunt, magis aut minus, pro medicamentorum siccitate aut recentia: deinde vase impositio igni, primum satis fortem patietur bullitionem, deinde lentam, vt commodius ad eam quam optamus coctura reducantur, neq; medicamenti vires exoluantur. Secundus modus est, vt eadem planè ratione in diplomate coquantur. Tertio elixationis modo vtitur Gal. in fructibus. Hos suspendit in vase aqua feruida semipleno, eósq; voluit tantisper donec æqualiter tenerescant: sic enim fit vt fructus facultas non exhalet, quemadmodum si calore sicco coqueretur: neque in humorem transit, quemadmodum si in aqua coqueretur.

Cæterùm vasa in quibus coquenda sunt medicamenta, figulina esse possunt vitrata & macerata, vitrea, ærea, stannata, cuprea; præstantissima sunt vitrea, in duplici vase, aut apud ignem, aut in arena, aut cineribus, aut in fornace cui subest ignis.

Ignis struendus è carbonibus, aut prunis, & lignis siccis acapnis.

De

De Assatione, & Frictione, & Vstulatione.

ASSARE, est medicamenta humore aliquo prędita, veluti carnes, fructus & radices, sine humore alio externo coquere.

Frigere, est illa ipsa medicamēta, aut alia sicca, additis oleis, aut adipib⁹, aut alio aliquo humore pauca quātitate coquere.

Vstulare, est medicamenta quædam, tantum humoris non habentia vt coqui possint, frustulatim secando calefacere, illis tegulæ impositis aut laminæ ferreæ calidæ, donec partes externæ siccentur & veluti torreantur, quemadmodum fit in rhabarbaro, myrobalanis, semine melan thij, & aliis.

Quæ assanda sunt, veru transfixa ad ignem perpetuò versantur, vt vndiq; ignē sentiant: aut in clibano coquuntur, aut in vase fictili iuxta ignem posito, & testa cōtecto, suprà positis prunis ardentibus; aut per seſe: aut massa panis inuoluta, vt scilla: aut malo cydonio imposita, vt scāmonium quod corrigendum est: hoc nanq; malo cydonio concauo exemptis seminibus impositum coquitur aut in clibano, aut in in olla fictili ad perfectionem, aut sub cineribus linteo aut foliis inuolutum, aut nudū: tametsi huiusmodi coctionis

nis genere naturales medicamentorum facultates dissipentur: præstat igitur aliis modis vti, vt maximè oportunum videbitur: non enim peculiariter id præscriptum est.

Frixio fit aut in sartagine, aut in testa. Torrefactio vt ante dictum est.

In his autē omnibus modus seruandus est: nam neque cruda eximenda sunt, quæ aut assatione, aut frixiōe cocta esse debēt: neq; etiam adeò coquenda vt torreantur aut vrantur, & inutilia eum in quem præscripta sunt scopum reddantur.

De Vstione.

VRVNTVR medicamenta aut per se accensa, vt sarmēta, rami ficus, cerri, herba cali, & pleræque aliæ: aut prunis ardentibus impositā, aut ollæ impositā cum sulphure, aut sola.

In olla vruntur abrotonum, anetum, cucurbita, impositā carbonibus ardentibus, quæ tantisper igniri sinitur, donec herbæ in cinerem reducantur.

Sericum sic vritur. folliculi recentes detracto glomere serici quo vestiuntur vruntur in olla carbonibus impositā: idque non vt in cinerem redigātur: sed eximuntur cùm ea accessit vstio, vt commodè teri possint.

Vruntur

Vruntur pleraq; animalia, veluti Echini terrestres, hystrices & hirundines; sale insperso, ollæ imponuntur supra carbones aut in fornace calida: operculo autem foraminulento tegenda est olla, vt ex sublatis halitibus cognosci possit, cùm satis vsta fuerint. Cæterùm cauendũ est sibi ab halitibus qui è viperis & scorpionibus attolluntur, noxij enim sunt.

Sal & nitrum eodem modo vrẽda, vsta autem esse indicium est, cùm nõ amplius exiliunt, & strepunt.

Alumen, vitriolum, corallium vruntur in fictili aperto, vt videri possit cùm cocta erunt, cuius indicium est si amplius non ebulliant, si perfectè inaruerint, si bullas excitare desierint: vitreolum seu calcanthum, si colorem mutauerit.

Ossa, vngues, cornu ceruinum eodem planè modo vrenda supra carbones, donec nullum fumum amplius exhalent, cõlorémque mutent.

Cancri diebus canicularibus capti, Lunæ decimo octauo die, vruntur in sartagine æ rea.

Lapides sub carbonibus vruntur à follibus vel flabellis excitatis donec planè igniti sint, deinde humore aliquo extinguũtur, ac rursus sub carbonibus ponuntur,

aut commodiùs in vrceolo Aurifabrorũ, toties repetendo donec in puluerem redigantur.

Aeris & plumbi laminæ tenuissimæ, cũ sulphure & sale alternis ollæ crudæ imponuntur: hæc carbonibus cingitur, aut in fornace reconditur donec percocta sit: vel vrceolo reponitur supra carbones donec planè ignitus fuerit. Dum verò plumbum ardet, assiduè versandum est, donec totũ in puluerem redigatur. Potest etiam plũbum sine sulphure & sale vri in fornace quæ duo habeat ora, mediáque sit diuisa muro lateritio dimidium pedem alto: & in vna parte ignis succendatur, in altera plũbũ repositũ assiduè versetur donec totum in puluerem redigatur: Hæc verò vrendi ratio vtilis est, cùm plumbi copia est vrenda, sic enim & sumptibus & tempori parcitur.

Stibium pinsita farina circumlitum & carbonibus obrutum torretur, donec ipsa crusta aduста sit: Si enim paulò magis cremetur, fit plumbum.

Resinæ, olea, pix, thus, styrax, & similia vruntur ad fuliginem eorum excipiendam: nam aut his in vas cõiectis ignis immittitur: aut in liquatis elichnium accẽsum imponitur, & patina fictili aut ærea in ver

vertice foraminosa quo fumus exhalare possit, fuligo adhærens excipitur.

De Extinctione.

GEMMAE & quædã metallica sæpius, antequam vrantur, ignita extinguuntur aqua, vino, oleo, melle, butyro, aut alio aliquo humore, donec refrixerint.

Quædam semel dũtaxat, aut sæpius extinguuntur, ex Medicorum præscripto.

De Tritura.

MEDICAMENTA terũtur, vt, quia commisceri propter crassitiem & duritiẽ non possunt, reducta in puluerẽ exactius misceri cum aliis possint: crassius autem aut tenuissimè teruntur pro Medici vario scopo. Terendi autem modus varius est, pro simplicium natura.

Metallica valenter, & diu terẽda sunt.

Medicamenta odorata veluti cassia seu canella, caryophylli, macis, & similia moderatè sunt tundenda, ne pars tenuior exhalet, & interdum illis aut amygdalæ adduntur, aut aqua rosacea inspergũtur.

Radices odoratæ, vt angelica, valeriana, garyophyllata, asarum, eodem modo, eadémque diligentia terendæ sunt.

Quæ verò nõ sunt odoratæ, sed crassæ & solidæ, vt gẽtiana, peucedanũ, bryonia, violẽto ictu & diuturno verberãdæ sunt.

Herbæ odoratæ, sicut calamintha montana, amaracus, serpillũ, præterea flores, eodẽ modo terũtur, quo radices odoratæ.

Thus, mastiche, sarcocolla, & succi qui humorem, & lentorem retinent tundẽdo non teruntur, sed clementer ducto pistillo per fundum ac latera mortarij.

Gummi & lachrymæ, quale est gummi arabicum, tragacantha, eodem modo terentur.

Rhabarbarũ, & quædã aliæ radices aliquo humore præditæ eodẽ modo terẽdę.

Galbanum, ammoniacum, opoponax, bdellium, myrrha, succus glycyrrhizę, hypocistidis, cucumeris syluestris, & opium thebaicum teruntur affusa aqua, vino, aceto, aut alio humore.

Moschus & ambra cum aqua rosacea, ne partes odoriferæ euanescant.

Similiter & semina quædam, quæ gluti nosum quiddã & pingue habent, vt thlaspi semen.

Semen napi & sinapi sola non terũtur, sed aliis medicamentis siccis permista teruntur, aut cum humore aliquo, pro rei necessitate.

Fructus recentes, & radices recentes, quarum vsus est in compositis medicamẽtis, ante & post coctionem tunduntur, vel frust

fruſtulatim ſecantur, aut mediocriter tantùm cõfractæ infunduntur vt dictum eſt.

De Tritura craſſiore.

TRITVRA craſſior fit dum medicamenta craſſius duntaxat franguntur, nec in puluerem reducuntur vt in tritura abſolutè ſumpta. Hæc pleriſque medicamẽtis quorũ talis vſus requiritur, vtilis eſt: Aliis præterea multis medicamẽtis quæ alia præparatione indigent, veluti ſunt herbæ & radices quæ coquendæ ſunt, & ea quæ in tenuiſſimum ſunt reducenda puluerem.

De Tritura ſubtiliori, ſeu Attritione.

MOLVNTVR ſeu teruntur ſemina quædam, veluti triticum, lolium, lupini, ſemen lini, & fœnigræci, quòd commodè tundi non poſſint; tum etiam quòd cortex vnà cum farina miſceretur.

Teruntur præterea quædam metallica, quæ contuſa in puluerem tenuiſſimum reduci non poſſunt, veluti thutia.

Sic & lapides pretioſi, lapis lazuli, armenius, teruntur in mortario marmoreo lato fundo, cum molula marmorea, inſperſa interdum aqua roſacea, aut alio humore, ne puluis euolet.

Commodiùs item teruntur in porphyrio marmore plano, diu ducta per ipſum

marmor molula, donec prioribus digitis confricando medicamẽta, nulla amplius inæqualitas sentiatur.

De Confricatione.

LAPIS Iudaicus, & hæmatites, multíque trochisci & collaria ad oculorũ morbos parata, liquantur confricatione ex aliquo humore ad cotem medicam, qualis etiamnũ hodie ex Naxo insula adfertur.

Plumbum verò liquatur in hunc modum. Infusus in plumbeum mortariũ humor, pistilo plumbeo verberatur atq; agitatur donec crassescat, deinde lauatur, ac plumbum subsidere finitur, tum aqua effusa plumbum reponitur.

Eodem modo liquatur æs ad chrysocollam conficiendam.

De Cribratione.

CRIBRANTVR farinæ, vt à furfuribus, & à corticibus secernatur flos purior ac tenuior. Cribrantur etiam medicamenta quæ teruntur, vt puluis æqualis sit, partésq; crassiores in cribro retineantur.

Tela autem ex qua cribra fiũt, densior aut rarior esse debet pro vario medicamẽtorum scopo.

Lithargyros per telam secernitur, ne suo pondere cribrum stamineum confringat, crassiórq; secernatur quàm opus sit.

Cribr

Cribrātur etiā radices coctæ & fructus vt à corticibus & seminibus repurgētur.

Pulpa itidē cassiæ solutiuæ cribro trāsmittitur, vt solus flos seu pulpa, à corticis fragmētis & seminibus repurgetur: sic etiam tamarindi, & dactyli humectati, aut infusi, aut cocti pro rei necessitate.

De Lauatione.

LAVANTVR medicamenta, si foris re aliqua sunt contaminata. Sed hoc lotionis genus præparationi medicamentorū peculiare non est, sed cæteris rebus commune, quæ luto, vel re alia contaminatæ, lauatione opus habent.

Lotionis autem, de qua hîc agendum, duplex est finis: vt videlicet à medicamentis qualitas aliqua tollatur: aut vt aliam aliquam facultatem acquirant.

Cæterùm ex his quæ ad sordium separationem abluuntur: Calx & aloë tenuissimè terendæ sunt: deinde affusa aquæ copia satis magna simul miscentur & quiescere ac ad fundum vasis subsidere sinūtur tum effunditur aqua: atq; id sæpiùs repeti turdonec aqua pura remaneat: deniq; medicamentum siccatur ac reponitur.

Metallica tenuissimè leuigata, ac in aquam purā, aut marinā, aut acetū, aut aliū humorē immissa, in Sole feruidissimo

totum diem ridicula agitantur,& per no ctem residēt, mane aqua effunditur, atq; alia iniecta rursus eodē modo agitantur, quoad aqua quæ effunditur sit limpida.

Lapilli minutissime confracti, in aquā aliúmve humorem iniiciuntur & manibus confricantur ac agitantur, deinde vbi subsederint, aqua effunditur, idq; toties repetitur, donec aqua pura emanet.

Sic lauantur acacia, & alij succi qui cō modè in puluerem redigi non possunt, gū mi Arabicum,& lacea.

Resinæ,adipes,medullæ,& olea liquantur,agitantur, aqua affunditur totius ac effunditur donec pura appareat. Oleum verò lauando minus est verberandum, ne aquæ adeò misceatur, vt post ægrè possit separari.

Quæ in decoctionibus aut succis lauantur medicamenta,vt de illorum facultate nonnihil acquirant, cum tanta humoris copia lauari non debēt vt prædicta,neque toties,neque ea adhibenda est diligētia in illis ab humore segregandis:quemadmodum si aloë succo rosarum, aut intybi,aut cum specierum decoctione lauetur ad pilulas alephanginas: & turbith cum agarici & tithimalorum decocto,vt valētius purgent.

De

De Succorum extractione.

Succvs ex foliis & germinibus per se tritis exprimitur, & depuratus siccatur aut Sole aut igni, donec eam consistentiã nanciscatur vt in pastillos formari possit, ac ita seruari. aut liquidus seruatur in vas angusti oris, superfuso oleo digiti crassitudine.

Sic exprimuntur succi ex fructibus, veluti ex vua immatura, malis punicis, sorbis, mespilis, cydoniis, limonibus, & similibus, & interdũ scarificatione: sed liquidi seruãtur plerunq; eo quo iam dictum est modo, aut sale insperso, vt omphacium.

Quædam herbæ quæ pauco humore eóq; lento sunt præditæ, vt hedera, portulaca, cotyledon, semperuiuũ, opus habent admista aqua, aut alio liquore illarum facultatibus simili, interterendum, vt expressione, vnà cum ipso humore extrahatur: aut si tusæ calatho imponantur loco frigido, vt paulatim succus in subiectum catinum defluat.

Ex radicibus autem & herbis quibusdam siccis, aut pauco humore prędítis, vt est lentiscus, absinthium, glycyrrhiza, cẽ taurium maius, gentiana, & similes, succus hac ratione extrahitur. Quinque diebus in aqua macerantur, deinde in eadem

aqua coquuntur donec crassescat: colata postea aqua denuo coquitur quoad mellis crassitiem habeat, tum in sole siccatur, ac in pastillos conformata reponitur.

Ex ebulo, iride, cucumere asinino scarificatis aut tritis, succus expressione extrahitur, vt suprà dictum est.

E' thapsia autē & peucedano, scrobe circū radices facta cortex inciditur, liquórq; emanans subiectis foliis aut vase aliquo purus excipitur. Thapsiæ succus sole, peucedani verò vmbra siccatur. Ex his etiā tritis, aut scarificatis, expressione succus extrahitur: sed chirothecæ manibus indu cendæ, & facies velanda est, ne vapores è thapsia exhalātes faciē inflēt & exulcerēt.

E' tithymalis succus vindemiis exprimitur incisis summitatibus, & succus effluens vase exceptus Sole siccatur, aut farinæ orobi pmiscetur, aut fico sicca quinque aut sex guttulæ excipiuntur, ficúsque reponitur, vt ait Dioscorides.

Hypocistis quæ sub veris finem radicibus cisti adnascitur, teritur, & succus expressus Sole siccatur.

Ex cucumere agresti elaterium sic colligitur. Decerpti cucumeres maturi, qui tacti protinus exiliūt, impositō supra vas aliquod rariore cribro, figillatim supino cultro

tro sursum versus aciem habente finduntur, atq; per cribrū humor in subiectū vas exprimitur, simúlq; carnosum quod hæsit cribro, quo facilius excidat, eliditur: Coa ceruata autē in cribro segmina dulci aqua perfundūtur & denuò pressa abiiciuntur: humor in pelui agitatur, & linteo opertus duplicato, Soli exponitur: dúmque steterit, tota supernatās aqua cum spuma identidem effunditur, deinde conterendo cogitur in pastillos, & seruantur.

Scillæ succū sic extrahit Galenus. Scilla viginti diebus ante caniculæ exortū euulsa, atq; à Corticibus externis purgata, manibus in exiguas discerpitur particulas, & in vas conicitur à quo recenter exemptum fuerit mel: posteà bene adaptato operculo illud obturās, extrinsecúsq; pelle circundans & diligenter colligans, in loco meridiem spectante, qui à borealibus non perfletur ventis, Soli exponitur quadraginta diebus, interdum vas vertendo, vt ex omnibus similiter partibus Solem sentiat: deinde vas aperitur, & is humor qui supernatat, colatur, melle conditum coquitur ac seruatur. Ex scillæ carnibus fermento quodam inuolutis ac quasi coctis, deinde tusis & cū melle mistis fit elegma scilliticum, succo iam dicto símile.

Cu

Cucurbita, farina pista inuoluta, & in clibano cocta ad crusti frumentacei coctionem; aut scarificata deinde expressa, succum emittit cuius vsus est.

De Muccaginum extractione.

MVCCAGINES ex semine psyllij, lini, fœnigræci, cydoniorum, & è radicibus quarundam plantarum, vt est althæa, malua, acanthus, infusis in aqua noctem vnam, extrahūtur: miscetur deinde dicta aqua, & calefit donec bulliat, & semina crepent, & muccago crassior supernatet: tum enim mantili ex tela noua forti imponitur ac colando exprimitur, aut virgis duabus intorquetur sacculus à summo ad imum, ac alio bacillo percutitur succúsque deraditur.

Psyllium item (vt eclegma de psyllio suauius fiat) maceratur aqua recenti per 24. horas, deinde rudicula sæpius agitatur, donec muccago supernatet, excepta inde muccago colatur ac in vsū seruatur.

Simile est mel anacardinū appellatum, quod fit ex recentibus anacardiis exiguis diutius coctis, ex his enim enatat liquor quidam aut muccago prædictæ similis.

De Destillatione.

HERBAE, flores, fructus, liquores, & animalia, potius vasis vitreis aut figulinis

destil-

destillanda erant, quàm plumbeis vt vulgò fit: tametsi experientia comprobatum sit, medicamenta plumbeis vasis destillata non tantam noxam adferre quam pleriq; metuunt: animaduertendū tamen est, omnino plumbeis vasis non esse destillandum acetum, omphaciū, limones, aliásq; res acres quæ intra corpus assumendæ sunt, nam facilè incommodum adferrent. Optimus quidem esset is calor, quo in destillatione sursum vapores attolluntur, qui ex aqua feruente fit; minus enim medicamentorum facultatem corrumperet: difficilis tamen ea est destillandi ratio, magnarúmque impensarum, & aquæ sic destillatæ non diu perdurant, quin facilè putrescant. Itaque necessarius est ignis è carbonibus accensis, aut lignis siccis nec fumum, nec tetrum odorem expirātibus, moderatus, non magnus, æqualis. Commodissima ea est ratio quæ fit vase, quod materiam continet destillandam, sub cineribus aut arena in fornace sepulto, & igne cineribus aut arenę subdito: sic enim temperatior est calor, commodiúsq; humor extillat, & melior est, priórq; posteriori similior est; etiam si ex omnibus quę destillantur liquor qui primò, qui secundò, quíque postremò elicitur aliquantulum

lum inter sese differant.

Fit etiam destillatio vase floribus aut ligno completo, quod foraminosum sit, aut telam, cratriculámve habeat qua destillanda sustineantur, tegula aut operculo supra vasis orificium impositio, in quibus carbones accensi, calore suo destillare faciant in fundum subiecti vasis, aut aquam, aut oleum non minus odoratum, quàm quod vulgari modo elicitur.

Porrò aquæ destillatæ per aliquot dies Soli exponi debent in vasis linteo aut mẽbrana perforata obturatis, vt quicquid excrementosum est resoluatur, simúlque exhalet empireuma quod in aquis destillatis remanserat.

Alio præterea quàm ignis calore fit destillatio, nam & per fimi calorem, vinaceorum, & sausa fiunt destillationes., verùm hæ in medicamentis præparandis non sunt admodum aptæ, sed potius ad chymistas referri debent.

De Oleorum extractione.

OLEA è fructibus, seminibus, liquoribus, lachrymis, rebúsque omnibus pinguibus, & etiã è metallicis exprimi possunt.

E' fructibus, veluti ex amygdalis dulcibus & amaris, ex strobilis, pistaciis, balano myrepsica, nucibus, & nuce moschata.

E' cer

E' certis seminibus, veluti è semine lini, sesami, ricini, & aliorum. Exprimuntur autem in hunc modum.

Fructus & semina cortice duro prædita purgãtur, teruntur, & loco calido, quo ad Solem, aut in duplici vase reponũtur: dein de rursum trita, torculari exprimuntur; aut, cùm trita sunt, inspersa calida aqua, tantisper agitãtur, donec oleũ supernatet, tum manibus, aut torculari exprimũtur.

E' fructu oleæ, lauri, iuniperi, & lêtisci maturo in aqua cocto, oleum supernatans aquæ colligitur: aut ex eis tusis inspersáq; aqua calida oleum vt suprà exprimitur.

E' lignis, iuniperi, aloës, guaiaci, piceæ, oleũ extrahitur. capitello figulino cocto, aut æreo sumpto, cum eiusdẽ materiæ receptorio cuius fundo craticula ferrea insi dear; receptorium illud ligni fragmentis impletũ in pyramidis formam, vt applicatum capitellũ super receptorio, quodammodo etiã impleatur. deinde supra aliud vas pedem altum imponuntur, quod tantum in terra reconditur, vt matella plena cum capitello suo huic imposita; matella quidem sub terram recondatur, capitellum verò solum extet, circa quod ignis extruendus est, cuius calore oleum ex lignis elicitur, ac in subiectum vas decidit.

E' lachry

E lachrymis, resinis, & liquoribus, oleũ alembico in matellis vitreis elicitur, quẽadmodum in destillatione dictum est.

Sulphur in exiguo vase vritur superim posito capitello lato quod vapores in altum elatos in humorem conuertat: sed is humor aqua potius, quàm oleum est.

Oleum verò etiam per alembicum elicitur ex sulphure, quemadmodum ex resinis, lignis, gummis, cæteríſq; rebus, è quibus oleũ, rationibus suprà dictis, extrahi potest. Sed etiam in hunc modum aliquãdo extrahitur. Sulphur liquatum latercuique tenuissimè triti æquis partibus per alembicum destillantur, deinde fæces cum humore extracto rursus permistæ denuo destillantur.

Sic etiam è cera extrahitur, nisi quod humori primùm extracto adduntur vnciæ tres lumbricorum vino albo ablutorum, & drachmæ duæ croci tenuissimè leuigati, deinde iterum permista cum fæcibus prioris destillationis, destillãtur.

E calcantho sic fit. Calcanthum quàm optimum, quod ea facultate prẽditum sit, vt ferrum politum contactu suo æris colore tingat, tenuissimè tritum in matellam infunditur, & applicato capitello destillatus humor reponitur, ipsumq; calcãthum

thum eô vsq; supra ignem relinquitur, donec vstum sit & rubrum: deinde exemptũ teritur, & humori suo permistum, denuo in vas coniicitur & per diploma destillatur donec oleum emanet.

Ex stibio sic. Stibium electissimum tenuissimè tritũ in matellam coniicitur affuso tanto aceto stillatitio, vt stibium tegat quatuor digitis: deinde obturato ore vasis sub fumum calidum per octiduum reconditur: posteà destillatur lento igni in fornace cineribus aut arena plena: &, si nullus humor amplius stillet, eximitur vas & affuso aceto stillatitio, vt primùm, sub fimo calente quatriduum sepelitur, deinde in duplici vase per vnam aut duas horas coquitur: & vase exẽpto, si quid humidi remansit filtro colatur, & recenti addito aceto stillatitio, vt initio factũ est, permiscetur & toties per filtrum colatur, donec clarum emanet: tandem omne acetum percolatũ lento igni destillatur, & cùm nihil aceti amplius emanat, quod reliquum est, oleum stibij seu antimonij appellant.

Oleum tartari fit ex tartaro vsto in vase fictili lutato, in fornace, in qua vitra aut laterculi coquuntur, donec candidum fiat: deinde in sacculo impositum

in cella reponitur, ex quo liquor emanat aquæ quàm oleo similior.

Oleum ouorũ sic fit. Vitelli ouorum eli xando duratorum manibus friati in sarta gine terrea plumbata frigantur, igni me diocri, assiduè mouẽdo donec oleũ ab his resoluatur, & sic calidi panno lineo inuoluantur, & torculari exprimatur oleum, qđ refrigerari finitur, donec limpidũ fiat.

Ex frumento & sinapi torrefactis in pa tina terrea, oleũ torculari exprimitur: aut trita, in patina lento igni friguntur, & in sparsa aqua mouentur, deinde torculari exprimuntur.

De Expressione.

EXPRESSIONE, medicamento rum humida & tenuis substantia extrahi tur, & à crassa ac sicca separatur, veluti fructuum ex quibus oleum aut succi ex primuntur, herbarum, radicum: tum etiã decoctionum & infusionum quarum pars humidior in vsu est.

Expressionis instrumenta sunt manus, prelum, sacculus qui duobus baculis com primitur & cæditur, tela aut stamen vul gare manibus contortum vt vulgò fit.

Debent autem medicamenta plus vel minus pro vsus necessitate exprimi.

Succi & olea forti expressione extrahũ tur.

tur. De decoctionibus verò & infusionibus ex præscripto medicorum agendum.

De Colatione.

COLATIO fit vt pars crassior separetur, vt in succis, oleis, decoctionibus, infusionibus, iulepis, syrupis, gummis, lachrymis & resinis liquatis.

Varia autem sunt colationis instrumenta, vt fistulæ seu tubi, stamen, pannus, sacculus, vasa figulina cruda, vasa hederacea, quæ tenuem humorem transmittunt, crassiorem substantiam retinent, officinis ignota.

Humida, quales sunt succi, syrupi, infusiones, & decoctiones, per stamen vulgare colantur, aut laneis pannis extensis, aut per colatorium, quo solo, aut duplici, aut triplici vtimur, primo minore & rariore, secundo maiore vt summum ambire possit relicto tamen vndique trium digitorum interuallo, tertio eóque infimo, maiore secundo ad eandem proportionem, atque densiore: quibus humor eadem opera perfectissimè colari potest.

Iulepi, syrupi cum saccharo aut melle confecti, colantur linteo raro, aut stamine vulgari in ligno extenso, aut sacculo stamineo, iique calidi, nam frigidi transmeare non possent.

Colantur etiam nonnulla per filtrum, vt calcanthum aqua dissolutum,& alia similia venenosa facultate prędita,in hunc modum. Filtrum sumito quatuor digitos latum, longúmque vt vasis fundum in quo medicamentum colandum continetur contingat,altera extremitate acuminata extra vas propendeat: illud enim assiduè humorem imbibit, illúmque in aliud vas contiguum effundit.

De Clarificatione.

LIQVIDA medicamenta quibus multa materia admista est clarificantur: dum quiescere permittuntur, donec quod fæculentum est subsideat, sumendo quod clarificatum est:aut dum colantur vt antè dictum est:aut dum quæ ægrè clarescunt,Soli exponuntur; aut igni coquuntur,ac despumantur, dein colantur; aut iniecto omphacio, vel succo limonum,vel aceto;vel ouorum albumine verberato (vt vulgo fit) dum bulliunt, dein despumatior ac colatior.

De Despumatione.

DESPVMATIO fit, derasa, dum medicamenta coquuntur, spuma quæ supernatat, cochleari ferreo pertuso, ne cum spuma etiam humor, in quo fit coctio, abiiciatur: hæc omnibus quæ coquun

quuntur communis est.

Despumantur etiam succi, mel, saccharum, reiectis partibus crassioribus & excrementiciis, dum coquuntur, aut per se, aut albuminibus ouorum bacillo quassatis, vt in clarificatione dictum est: deinde spuma ablata cochleari perforato, aut colatione per stamen facta, aut per pānū laneum clauis affixum, aut per colatorium.

De Coloratione.

MEDICAMENTIS color acquiritur, admistis quibusdam coloratis, vt est ærugo rasilis, cinnabaris, minium vulgare, cerussa, & similia: aut diutina coctione quemadmodū ea quæ ærugine recipiunt.

Quædam viridia sunt, quædam rubra, quædam nigra: quædam lotione candida fiunt, vt oleum & terebinthina; quædam insolatiõe, vt cera, & sapo in taleolas aut laminas sectus: quædam coctione ad Solem, vt multa emplastra: quædam rudicula aut manibus diutius tractata albiora euadunt, vt penidia, eclegmata, manus Christi.

DE MEDICAMENTORUM compositorum generibus, eorumque miscendi modo.

Sectio tertia.

De Conditis, aut Conseruis.



CONDITA aut conseruæ fiunt è floribus, fructibus, radicibus & corticibus.

Conseruæ florum, veluti rosarum, violarum, buglossæ, fiunt è floribus tritis aut minutim concisis, addendo triplum aut quadruplum sacchari puluerati, affusa aliquantula aqua stillatitia vt commodius permisceri possint: deinde Soli exponuntur bene obturato vase, & interdum agitantur.

Fiunt etiam nonnunquam perfectè cocto iulepo, atque in eum iniecta tertia aut quarta parte florum tritorum aut minutim concisorum, deinde insolantur.

Fructus condiuntur aut conficiuntur coctione; cocti enim, cribro cernuntur, & ad singulas iulepi libras, pulpæ quatuor vnciæ adiiciuntur, deinde lento igne coquuntur donec ad eam cõsistentiam perducti

ducti sint vt nec nimiũ liquidi, nec nimia coctiõe aridi & exsucci sint redditi: quod experientia facilè deprehendi potest: nã si guttula in marmor aut ferrum demissa, manus, vbi refrixerit, non inquinet, iustam esse coctionem, censebitur.

Condiũtur præterea fructus si primùm repurgati à cortice & ossibus, æquis partibus cum saccharo & aqua lento igni coquantur, donec saccharum totam fructuũ substantiã penetrarit, & ad iustã coctionẽ perducti sint: quod ex eo deprehendetur, si iulepus consistentiam habeat lentã, ita vt digitis ductus fila tenuia mittat, sed id experientia ipsa certius commonstrat.

Fiunt etiam conseruæ fructuum, ex eorum succi vnciis sex in singulas sacchari clarificati libras, coctis lento igni quoad gelatinæ crassitiem ademptæ sint, actum in pyxides coniiciantur.

Formantur præterea in pastillos eædẽ florum & fructuũ cõseruæ diutius coctæ.

Fructus peregrini primum macerantur, deinde cocti cum iulepo dilutiore, quem longum vocant, condiuntur.

Radices vt condiantur, primũ terra & cortice exteriori purgatæ, & matrice, deinde in partes sectæ, coquuntur in iulepo dilutiore donec radicum substantiam penetrarit,

netrarit, & probè coctæ sint vt in fructibus dictum est.

Cortices quorundam fructuum, veluti citriorum, malorum medicorum & limonum, quòd substantia sint aliquantulum amara, primùm aliquot dies in aqua macerãtur, sæpius aqua mutata, deinde aquę incoquuntur donec tenereſcant; tandem in aquam recentem semel atque iterum immittuntur; postremò in iulepum aut mel, cui multa sit aqua admista, iniecti coquuntur ad iustam crassitiem.

Radices & cortices peregrini humectãtur, deinde in iulepum impositi coquuntur, vt de fructibus dictum est.

Conseruæ florum & fructuum annum durant & interdum biennium, cortices diutius: & in pyxidibus aut vasis bene obturatis reponuntur.

Interdum à Medicis adduntur iam dictarum conseruarum iulepis aromata, & medicamẽta purgantia, vt infrà dicetur.

De Infusionibus.

SVPRA dictum est qua ratione fieri debeant infusiones ad medicamentorum præparationem, nunc verò de earum cõpositione agemus.

Duo sunt earum genera; nam aliæ per se corpus purgant: aliæ addũtur allis medicamen

dicamentis quorum nõnullas medicis recentioribus maximè vsurpatas describemus. Vtrunque infusionum genus sæpius à medico præscribitur, in quo humore, qua quantitate, qualitate, calidæ an frigidæ, quantóq; tẽpore fieri debeant: item quales debeant fieri expressiones, fortes an imbecillæ. Hæc autem omnia diligenter perfici debent: & si quando contingat vt in medicamento non sit expressa quantitas, qualitas & tempus: aut (si scribatur, infunde secundum artem) tanta quantitas aquæ sumenda est, vt medicamenta, quæ maceranda sunt operiat.

Radices, fructus, ligna, aut cortices sicci, & sæuiente hyeme, macerari debent, primum contusa & confracta, aqua tepida aut calida per viginti quatuor horarum spatium, aut supra cineres, aut in vase calido, aut ad Solem, aut loco calido, aut pellibus operta aut pannis, vt diutius humoris calor conseruetur.

Flores, herbæ, aut fructus recentes, & æstiuo tempore, macerantur in humore frigido duodecim horarum spatio. In vtrisque expressio fortis facienda est

Medicamenta purgantia, veluti agari-

cum, myrobalani & similia crassius aut minutius confringuntur ex medici præscripto, deinde macerantur, hyeme horis duodecim, æstate sex: expressio autem magis aut minus fortis esto pro medici præscripto.

Rhabarbarum & agaricũ iam confracta aut trita insperguntur aliquãto vino albo, deinde admiscentur aliis rebus sequentibus: Rhabarbarũ cum aqua cichorij, spica nardi, schænantho, aut canella: Agaricũ cum tãto oxymelite vt incorporari possit, & aromatizatur gingiberis momento & canella: dimidius autem scrupulus gummi triti ad singulas agarici drachmas additur: deniq; in tãta aqua stillatitia aut decoctiõe maceratur vt totum operiatur: insuper sæpius agitãdum est, vt commodiùs omnia misceantur.

Omnes autẽ hæ infusiones recentes fieri debent, non autẽ eæ sumendæ quæ tempus legitimũ aut præscriptum diu prætergressæ sint nam facilè corrũpuntur: quòd si conseruandæ sint, vas arena obruendũ est, nam sic melius perdurant.

De Decoctis.

DECOCTIS per se vtimur: aut medicamentis quibusdam admiscemus ad eorum compositionem, aut dissolutionem,

vt

vt facilius assumi possint.

Præscribitur item humor, quantitas, qualitas decoctorum, & an primùm medi camenta macerari debeant, qualis item debeat esse decoctio, fortis, an mitis, & si, inter colandum, crassiorũ, quę remanent, partium debeat fieri expressio, & an valens, an clemens esse debeat.

Horum omnium summa ratio habenda est; & si quando non præscribantur à Medico, in hunc modum intelligendum est, scilicet: Flores, herbas recentes, & siccas odoratas, radices graciles & odoratas, fructus, cortices peregrinos & odoratos, vt sunt nux moschata, garyophylli, cinnamomum seu canella, & macis, non multam expetere coctionẽ. Radices crassiores, cortices & fructus non odoratos, multam coctionem desiderare, vt copiosè suprà dictum est.

Horum autem vsus esse debet statim à coctione, aut paulò pòst, & conseruari debent in vasis vitreis diligenter obturatis loco frigido, aut arena sepeliri, si diutius sint asseruanda.

De Sapis, Iulepis, & Syrupis.

ROB, aut sapa succus est fructuum Solis aut ignis calore inspissatus, vt asseruari possit, & eo vti liceat in oris præsertim

morbis

morbis aut per se, aut cum melle, aut sac charo, aut sapa.

Perfectæ coctionis indicium est, si tantum inspissata sit vt frigefacta vnitatem quandam & mellis crassitiē adipiscatur.

Reponitur vasis vitreis, aut figulinis vitratis ad annum vnum.

IVLEPVS Arabū, potionis genus est delicatæ apud Græcos, quæ parabatur ex aqua, vino, & succis cum melle.

Arabes id genus solum descripserunt quod ex aqua & succis componebatur, illúdque iulep vocarunt: Græci recentiores ζουλάπιον καὶ ἰολάβιον.

Fiunt autem cum aquis stillatitiis, & horum frequentior est vsus hodie: aut cum decoctionibus, & succis ori gratis, sed horum vsus nullus est, nam eorum loco syrupo simplici vtimur.

Rosaceus & violaceus parantur ex vnciis octodecim aquæ rosaceæ aut violarū ad singulas sacchari libras & quia his statim vtimur tanta coctione non egent atque syrupi.

SYRVPVS aut serapiū, simplex est, vel ex multis cōponitur. Simplex iulepo perquā similis est, hoc, solum differens, quòd succus & decoctio è quibus syrupus fit, ingratior sit, quàm è quibus iulepus.

Compo

Compositus fit ex infusionibus, & variarum rerum decoctionibus: interdum post coctionem aromata accipit aut medicamenta purgantia trita ac in nodulum ligata, atque in ipso syrupo diu suspensa

Simplices syrupi fiunt è succis herbarum cichorij, endiuiæ, fumariæ, betonicæ, & similium: aut è succo fructuũ, vuæ immaturæ, succo limonum, pomorum, citriorũ; Coquuntur autem succi ad quartæ partis consumptionem, & depurari sinuntur: deinde huius succi sic depurati libra cum sacchari clarificati tantũdem coquitur ad iustam crassitiem, cuius indicium erit si guttula in marmor effusa hæreat; aut digitis accepta, horum adductione & diductione fila ducat.

Alij saccharum coquunt ad penidiorũ vsque crassitiem, deinde succum admiscent, & simul feruere semel sinũt, postea igni exemptum insolant.

Simplices in sua bonitate annum seruantur. Compositi biennium. Reponuntur vt dictum est.

De Eclegmatis.

MEDICAMENTA ea quæ Arabib⁹ loch dicũtur, Græci ἐκλείγματα & ἔκλικτα vocant Latini linctus, quòd linguntur & lambuntur, ac retenta in ore paulatim liqueſc

liqueſcunt & in trachæam arteriam delabuntur, ſimplicia ſunt & compoſita.

Simplicia ex ſolius medicamenti ſimplicis decocto aut ſucco, & ſaccharo, melle, alióue liquore parantur.

Compoſita, gummi, fructus, & aromata recipiunt.

Eorum conſiſtentia media eſt inter ſyrupos & electaria: nam ſyrupis craſſiora ſunt, & electariis dilutiora, ne tam facilè elabantur atque ſyrupi, nec tam difficilè in arteriam delabantur vt electaria.

Poſt coctionem diu in cacabo agitantur, vt candida fiant, ſintq; oculis gratiora: nam aliâs, cùm eorũ vſus ſit frequens, facilè faſtidium generarent.

Simplicia in ſua perfectione annũ ſeruantur: Compoſita bienniũ, his exceptis quæ amygdalas, ſtrobilos, piſtacia, & alia huiuſmodi quæ facilè ſeneſcũt, receperũt.

Reponũtur autẽ vaſis figulinis vitratis.

De Electariis.

ELECTARIORVM, quæ Græcis antidota appellantur, multæ fuerũt differentiæ. Nos verò in electaria guſtatu grata & iucũda diuidemus, in electaria amara & ingrata, in electaria purgantia & laxantia, in theriacas, & electaria opium accipientia, quæ omnia ſecundum hunc ordinem

dinem ſuo loco deſcribemus.

Conficiuntur ex variis, & multis pecu liaribus medicamentis, quorum delectus & præparatio maxima cum diligentia ex regulis ſuprà traditis fieri debet.

Saccharum aut mel eouſq; coquuntur, donec aromatibus inſperſis, iuſtam habeant conſiſtentiam, & poſſint deglutiri, aut diſſolui, prout vſus poſtulabit: animaduertendū tamen eſt, vt ſaccharū aut mel tantum coquatur, vt repoſitū, ſitum non contrahat, quod fiet, quando ad ſyrupi decoctionem proximè acceſſit.

Aromatum quantitas inſpergenda, plerunque in ipſa compoſitione expreſſa eſt: quod ſi expreſſa non ſit, & ſimpliciter ſit additū, mellis aut ſacchari quātum ſatis eſt; vnciæ tres aromatū in ſingulas ſaccharī aut mellis libras ſumendæ erunt, & in electariis guſtu iucundis vnciæ duæ.

Saccharo aut melle cocto & deſpumato, & igni exempto, aromata paulatim inſpergūtur, & aſſiduè verſantur donec perfectè miſta ſint.

Reponuntur vaſis figulinis vitratis, aut plumbeis bene obturatis.

Electaria palato grata durant annum, amara & ingrata biennium, purgantia annum.

Theri

Theriaca ad vigesimum annum durat, reliquæ opiatæ in decennium: neque exhiberi debent ante semestre, nisi medicus aliud præscribat.

Ex electariis dulcibus fiunt interdum morselli aut tabellæ: tum in singulas sacchari cocti libras dimidia vncia specierum inspergitur instar manus Christi.

De Pulueribus.

PVLVERES qui nobis describentur, partim intra corpus assumuntur, partim foris applicantur.

Qui per os assumuntur ex medicamentis componuntur aromaticis, aptis ad intemperiem corrigēdam earum corporis partium quæ nutritioni deseruiunt; ea autem sunt interdum electaria, vt diacalamintha, diatriō piperea ex Galeni & similia: & interdum admista habent quædam purgantia.

Qui foris applicantur, ex variis medicamētis commiscentur simplicibus, iisq; diuersis corporis administrantur partibus, veluti qui à vulgō Medicorum & Pharmacopœorum epithemata cordialia & hepatica vocantur.

Alij sunt vtiles ad vulnera & vlcera, idq; in variis corporis partibus, & varias ob

ob causas, vt pulueres capitales, adstringentes, sarcotici erodentes. Hi autem ex selectissimis fient medicamentis plus minúsve tritis pro medicamenti præscripti scopo, eóq; ordine & diligentia, quo in tritura dictum est.

In vniuersum autem, qui intrò assumẽdi sunt pulueres, & qui in epithemata ingrediuntur, tenuissimè teri debent, quòd ex aromatibus & odoratis constent, nisi quod interdũ eos crassius terere oportet, vt diatrion pipereon, & similes, vt in quẽ præscribuntur, scopum vsui esse possint.

Reponi verò debent sacculis coriaciis bene consutis, aut vasis vitreis diligenter clusis.

Singulis annis vt *plurimùm* renouari debent.

Qui foris applicandi sunt, non necesse est tã tenuiter terantur, &, quòd frequenti in vsu non sint, neq; magna eodem tẽpore copia opus sit, primùm componi solent cùm iis vtendum est, & secundum medici scopum. nihilominus tamẽ quosdam vulgatiores, & magis probatos in Antidotarij libro secundo describemus.

De Pilulis seu Catapotiis.

CATAPOTIA medicamenta sunt

quæ intra corpus assumuntur, in hoc magna ex parte confecta, vt corpus purgent & euacuent: apud Arabes verò, vt etiã sensus stupefaciant, & catarrhos tollant, veluti catapotia de cinoglossa & similia, tum etiam vt tussim leniant.

Fiunt ex siccis medicamentis tenuissimè tritis, deinde cum succis, aquis stillatitiis, aut aqua communi in massam redactis quæ papyro inuoluatur, deinde, vbi horum vsus erit, rursus tritis, & cum succo aliquo in catapotia conformatis.

Seruari possunt, purgantia annũ vnum; quæ verò opium acceperunt, duos, tres, & plures annos.

De Trochiscis & sieff.

VARIA sunt trochiscorum genera, quorum alij per se in corpus assumuntur; alij in compositiones aliorum medicamẽtorum recipiuntur, veluti pastilli de vipera, & è scilla in theriacam: alij extra corpus applicantur, constántq; ex metallicis, & hi vtiles sunt vlceribus malignis, & oculorum morbis.

Ex eorum numero qui intra corpus assumuntur; alij ex aromatibus fructibus, herbis, & medicamentis quibusdã purgãtibus constant, vt trochisci de agarico, & de rhabarbaro: alij ad eorum compositionem

nem opium requirunt. Fiunt ex medicamentis siccis tritis, vt dictum est, & cũ aqua, aut decoctione, aut succo mistis, donec ad eã crassitiem reducãtur, qualis est massa pilularũ. Formãtur autẽ in rotulas, vnde Græcis τροχίσκοι, Latinis pastilli appellãtur ab eorum forsitan figura. Siccantur in vmbra, & reponuntur vt in catapotiis dictum est. Durant annum vnum & qui opium recipiunt, vt pilulæ opium recipientes.

Qui foris applicandi sunt, cùm ex medicamentis constent quæ non facilè resoluuntur, seruari possunt in annum vnũ aut duos.

SIEFF Arabũ nihil aliud quàm Græcorum trochisci & collyria sunt, quorum diximus vsum esse in oculorum morbis; & sola forma differunt.

In vtroque autem genere illud requiritur, vt medicamenta ex quibus constant sint tenuissimè trita, supra omnia alia medicamenta.

De Oleis.

OLEA quorum in officinis vsus est, nũc è fructibus & seminibus exprimuntur: nunc fiunt ex oleo oliuarum in quod infusæ herbæ aut flores sint, & soli exponuntur, aut in duplici vase coquuntur.

Ex his simplicia vocantur, quæ ex fructibus expressa sunt sine vlla alia admistione, aut quæ ex oleo cõflata sunt in quo macerati flores vnius generis insolantur aut coquuntur.

Composita ea sunt quæ multa medicamẽta simplicia & odorata recipiunt, quæque plerunq; igni parantur: hæc apud veteres vnguenta nuncupabantur, quòd reciperent aromata, & lachrymas, eáq; de causa crassiora reddebantur.

Rationem extrahendorum oleorũ supra diximus.

Cæterùm quæ ex fructibus & seminibus tẽporatæ qualitatis fiũt, quale est oleum amygdalarum, sesaminũ, elici debẽt cùm horũ vsus necessarius est: nam si antè extrahãtur, nouas acquirũt qualitates.

Quæ ex fructibus frigidi & adstringentis temperamenti parantur, vt ex lẽtisco, myrto, ea durant annum vnum; pòst contrarias facultates adipiscuntur.

Quæ ex fructibus odoratis, vt sunt nux moschata & caryophylli, eliciũtur, semestri seruari possunt in sua virtute.

Quę ex liquoribus, seminibus, & lignis calidis per alembicum extracta sunt: tametsi recens extracta, sint præstãtissima, illorum tamen efficacia diu durat.

Olea

Olea simplicia fiunt maceratis in oleo oliuarum eiusdem anni, floribus aut herbis, ita vt oleo integãtur, frigidis quidẽ in oleo lauato, calidis verò in oleo puro: Deinde insolãtur per aliquot dies, vt præscripti est, & facta expressione valida flores abiiciuntur, & recentes immittuntur, idq; sæpius: aut coquuntur in duplici vase, donec flores immissi tenerescant, deinde exprimuntur, recentésq; iniiciuntur, & coquuntur sæpius: id autem fit ob tẽporis angustiam, aut quia subitò eorũ vsus requiritur, aut quia flores qui medicamentum ingrediuntur, non sunt tam diuturni, vt macerari & insolari possint quantum necesse est. Hæc autem annum durant.

Composita magna ex parte coquũtur, admista oleo, aqua, aut vino, aut infuso, aut decoctione aliqua, p medicamẽti præscripti ratione: Coquũtur autẽ lento igne ex carbonibus conflato, donec omnis ferè humor qui admistus est consumatur: aut coquuntur in vase duplici, quod præstat. Seruantur in annum. omnia olea reponi debent vasis vitreis ore angusto bene obturato, aut figulinis vitratis.

De Vnguentis, Emplastris & Ceratis.

HAEC medicamentorũ genera sub alia

appellatione Græcis descripta sunt: nam vnguenta illis solùm vocabantur olea cõ posita ex aromatibus, calore ignis aut Solis in eam consistentiam redacta, vt his facilè vti possent in vnguendis corporibus.

Arabes sub vnguenti vocabulo cerata græcorũ, malagmata, & ex emplastris etiam nonnulla complectuntur, non tamen coquebant ea consistentia qua Græci.

EMPLASTRA Græcis sunt medicamenta, varia simplicium genera, & metallica præsertim recipientia. Ea verò coquebantur donec manus amplius non inficerent, & Arabibus recentioribúsque cerota nuncupantur.

Arabum verò emplastra ea sunt quæ Græcis malagmata, cataplasmata, & epithemata, ex herbis, floribus, farinis, oleis, & adipibus cõposita, quæ tã diuturnã coctionem non patiuntur atque emplastra; nam neq; simplicia, ex quibus conflantur, neq; vsus, in quem parantur, id admittit.

CERATA veterum, vt iam dictũ est, sunt Græcorum emplastra.

Græcorum cerata ex oleo & cera fiunt, admistis interdum quibusdam odoratis. Quæ omnia medicamẽtorum genera, varia

ria sunt admodum,& in his regulam aliquam generalem præscribere difficillimum. De eorum autem compositione in singulis medicamentis, quæ libro secundo describentur,dicere præstabit.

DELECTV itaque medicamentorum facto, compositísque & repositis iis medicamentorum generibus quæ frequentiori sunt in vsu, & in quorum præparatione diutius est inhærendum, quàm vt subitò confici possint, (de quibus abundè in vniuersum supra dictum est) Pharmacopœo in medicamentis suis exhibendis & propinandis diligenter hæc sunt obseruanda.

Primùm,ne suo ex ingenio,aut inconsulto medico cuiquam propinet medicamentum aliquod purgans, aut quod ex opio constat,aut cuius vsus noxam adferre possit.

Deinde,vt,dum Medicus medicamentum aliquod præscribet,attētè illum præscribentem audiat, medicaménq; in codice in hunc vsum officinæ parato præscribat,diligenter adnotans & pondus & quãtitatem,& exhibitionis modum atq; tempus:tum descriptum medico perlegat, ne qua in re error aliquis cõmittatur,qui ho

minis vitæ magnam possit adferre calamitatem,& perniciem.

Præterea,vt medicamẽta prẽparata habeat:& si fortè contingat aliquod illi medicamentum deesse,quod nec ex sua, nec ex alterius officina nancisci possit: ne illud negligat,aut aliud in eius locum substituat inconsulto qui illud præscripsit medico.

Deniq;,vt exquisito pondere, & diligẽti mensura facta medicamenta dissoluat, conformet,molliat,extẽdat,& reliqua insuper in medicamentorum vsum necessaria peragat: deinde ea ad ægrum mittat, inscriptis vnicuiq; medicamento, tempore,& vtendi modo,iisque quæ, ex medici præscripto,ægro post medicamentũ sumptum agenda sunt: aut ipse ægrum adeat & illi porrigat, si potiones sint molestæ, aut alioqui medicamentum quod præparatum diu seruari non possit, vt cassia solutiua,manna, quæ primum dissoluendæ sunt cùm sumi debent, aut alioqui medicamenta quæ magna cum difficultate applicantur,vt in plerisque vsu venit.

ANTI